

916 6.20.30

DAEMONIACI,
Hoc est:
DE OBSESSIS A SPIRITIBVS DÆMONIORVM HOMINIBVS,
LIBER VNVS.


IN QVO DAEMONVM OBSIDENTIVM conditio: Obsessorum hominum status: Rationes & Modi, quibus ab Obsessis Dæmones exiguntur: Causæ item tum difficilis exitus ipsorum, tum signorum quæ exituri relinquunt: Loca denique, quò egressi tendunt, & his similia, discutiuntur & explicantur, denuò omnia repurgata & aucta.

AVCTORE PETRO THYRÆO, SOCIETATIS IESV, DOCTORE THEOLOGO.



Castañiza

LVGDVNI,
APVD IOANNEM PILLEHOTTE,
sub signo nominis IESV.
M. DCIII.
Cum Superiorum licentia.




6721

TYPOGRAPHVS LECTORI.

CVm præclarum hunc de Dæmoniacis Tractatum, à Reuerendo P. Pet. Thyræo, quondam insignis Societatis Iesu Doctoris Theologi, in lucem editum; & antè aliquoties typis commissum, & ab ipso Auctore reuisum, iam denuò à me impressum absoluissem; duos alios non minus doctos quàm iucundos Tractatus, vnum quidem, de Locis Infestis, Alterum verò de Nocturnis terriculamentis non inconuenienter subiungere, in animo habuerim. Verum à proposito resilire debui, quod nimirum præter omnem exspectationem meam à Religiosis Societatis Iesu Patribus insignis ab eodem Auctore conscripti Tractatus de tribus aliis Noui Testamenti Apparitionibus, quarum prima in Particulari Iudicio fit: Altera in Sacramentis: Tertia denique in peregrinis personis exhibetur, oblati sint nunquam antea prælo excusi, quos quoque vbi cum aliis nonnullis scriptis aliàs non editis, ex eruditorum Virorum

commiſſione mihi imprimendos neceſſario exiſtimarem: tempus mihi ſupradictos Tractatus, quorum mentio fit in huius libri inſcriptione, typis excudendi adeò breue extitiſſe inueni, vt hiſce Vernalibus nundinis paratos habere non potuerim: Coactus itaque illorum Tractatuum impreſſionem, vſque in futuras Autumnales Nundinas differre, velim vt ſincerus & beneuolus Lector candido & pio animo interpretetur. Coloniæ ex Typographia noſtra 5. April. Anno M. D C I I I.

I. S. A.



ISAGOGE IN QVADRIPARTITAM DISPVTATIONEM DE DÆMONIACIS.

BOSTON MEDICAL NOV 11 1908 LIBRARY.

Status & summa Disputationis.



Nter hostes, quos humanum genus, nec paucos, nec paruos habet, haud postremus est Diabolus: ut non immeritò Apostolus Petrus, quodam loco, ipsum Leoni rugienti comparauerit: & dixerit circuire, ac studiosè quærere, quem deuoret. 1 1.Petr.5.

Tantis autem is nos machinis oppugnat, ut nullæ quasi sint, & dicantur molestiæ quæ ab aliis, quamuis continuò nos infestantibus, afferuntur. Non est nobis, inquit, alius Apostolus, colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Principes & Potestates, aduersus mundi Rectores, tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Ephes.6.

Sæpe hic hostis homines afflixit: sæpe artibus suis circumuenit: sæpe potentia prostrauit, & ad miserrimas conditiones compulit. Id ex pluribus, vnum illud exemplum clariùs demonstrat, quo primis humani generis, post Deum, authoribus, grauis ruinæ causa extitit. 3 Genes.3.

Quantis enim in vno hoc congressu, primos illos homines, quinimo vniuersum hominum genus, bonis pri-

uauit? quanta mala aduexit? Et leuia illa damna censeri possent, si corporibus tantùm essent allata: at non corporibus solùm, etiam animabus plurimùm versipellis incommodauit:

5 *Porrò veterator, vt est potentissimus, ita solertissimus. Non vno tantum, sed multis modis nouit imponere & incommodare: nunc quidem exterius, nunc verò interius. Nunc aggreditur arcem mentis, & vel praua suggerit, atque ad peruersa trahit, vel ne rectum sequatur impedit: nunc in bona externa, quæ fortunæ dicuntur, impetum facit, iisque spoliat: nunc sæuit in corpus & miseris modis illud affligit.*

6 *Hæc verò partim per se efficit, partim per socios, quos fidelissimos habet, & promptissimos. Modò noceat sufficit vtrum per se, an per alios, nec curat, nec ita magni facit.*

7 *In vno tamen, quo hominum generi admodum molestus est, nullius alterius opera vtitur; sed quidquid propemodum molestiarum percipitur, eius opera studio & industria affertur. In quo verò? Cùm hominem* ἀυτοπροσώπως *ingreditur, obsidet, & miserum mortalibus spectaculum exhibet. De quo, quia haud pauca, non tam curiosam, quam vtilem habent quæstionem, præsens Disputatio instituitur.*

8 *Totum autem argumentum ad quatuor summa Capita reuocabitur. Primum ad ipsos Spiritus, qui homines obsident, pertinebit: Alterum ad eos, qui à Spiritibus obsidentur, & vexantur: Tertium versabitur circa modos & rationes, quibus ab hominibus Spiritus expelluntur, & profligantur. Quartum Spirituum eorundem egressum, & quæ cum eodem coniuncta sunt, discutiet.*

PRIMA



PRIMA PARS

DISPVTATIONIS IN QVA DÆMONVM OBSIDENTIVM CONDITIO, OPERAtiones, atque in Obſeſſos poteſtas; modi item, quibus homines affligunt, & his ſimilia explicantur.

CAPVT. I.

Dæmones verè ingredi quoſdam homines, illoſque obſidere.



1 Agnam admodum, & copioſam materiam primum Caput, quod in hac Diſputationis parte tractandum eſt, ſuppeditat. Quæritur enim, Verène Dæmones obſideant homines; & quid illud ſit: Quæritur, quomodo obſideant; & quid in obſeſſis hominibus efficiant atque operentur: Quæritur, qua parte ingrediantur; & ingreſſi iam, latitent: Præterea, quorum ſint Ordinum, qui in hoc genere occupantur: quod item vnum hominem ingrediantur, cuiuſque imperio: Denique quos ob fines, miſeros mortales obſideant atque excrucient.

2 Quod maligni Spiritus homines ingrediantur, & obsideant, negare non potest, nisi qui sensibus, quos habet, non putat habendam fidẽ: & omnem præteritorum temporum negandam historiam; & quæ sacris literis continentur, in dubium reuocanda.

3 *Videmus* haud rarò quosdam à Dæmonibus vexari; atque humanæ miseriæ imaginem, & diabolicæ crudelitatis illustrè exemplum præbere. Videmus eosdem à Dæmonibus, Christi virtute liberari: Videmus ijs argumentis, & Diaboli in hominibus inhabitationem; & eiusdem ex hominibus egressum confirmari, vt maiora homo prudens petere non possit.

4 Quot *præterita secula* hîc exempla suppeditant? Nulla referimus: quia, quæ præ aliis præferenda sint, ignoramus. Vix Sanctus aliquis diuinorum prodigiorum patratione illustris est, qui huius, vel Dæmonum ex corporibus exactione, vel scriptis libris, vel alia aliqua ratione, argumentum non præbeat.

5 Sed egregiè hanc rem *Sacræ literæ* confirmant. Ostendunt illæ hanc receptissimam apud Iudæos fuisse opinionem, vt crederent homines à Dæmonibus possideri posse. Docent non aliud sensisse Christum Dominum, eumdemq́; pro hac, magna argumenta subministrasse. Demonstrant posterioribus temporibus hac Diabolum potestate in homines vsurum. Denique probant Apostolos dæmonibus in obsessis hominibus terrori fuisse, exitumq́ue imperasse.

6 *Iudæorum opinionem* prodit ipsorum oratio, qua Christo Domino, per summam contumeliam,

obii

obiiciunt;quod Dæmonium habeat, *Nónne bene* Ioan.8.
*dicimus nos,*inquiunt,*quia Samaritanus es tu & Dæmonium habes?* Ab hac non diſcedit illa ipſorum Lucæ 11.
eorundem *In principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia,* & illa: *Quid ipſum auditis, Dæmonium habet.* Atque Ioan. 10.
ita Chriſti hoſtes, viri alioquin non ignorantes. Cum his ſentiunt, quicunque Dæmoniacos ad Chriſtum, vt curarentur, afferebant.

7 *Chriſti ſententiam* primùm declarat regula ſiue ratio, quam in quibuſdam Dæmonibus eiiciendis vult obſeruari: quæ eſt, vt cum oratione coniungatur ieiunium: *Hoc genus Dæmoniorum,* inquit, *non* Matth. 17.
eijcitur, niſi in ieiunio & oratione. Declarat deinde ad iam dictas calumnias & criminationes placida reſponſio. Neque enim negat fieri poſſe, vt Diaboli homines ingrediantur, (qua reſponſione omnem facilè à ſe contumeliam depuliſſet) admittit id fieri poſſe: ſe ab iiſdem obſeſſum & occupatum negat: negat ſe in *Principe Dæmoniorum Beelzebub Dæmonia eijcere.*

8 Maius his argumẽtum eſt: quòd plurimos Dæmones ipſius, dum communem nobiſcum in terra vitam ageret, profligarit ex humanis corporibus: Neque vno id, ſed pluribus locis: diuerſis etiã Matth. 12. 15. 17.
& nõ vna, apud omnes, ratione: ipſis quoque Dæmonibus clamantibus, & teſtificantibus vim ſibi fieri, & ſuis domicilijs atque ſedibus ſe pelli. Marc. 1. 3. 5. 7. 9. Luc. 4. 8. 9. 11.

9 *Futurum etiam denunciat,* quòd poſterioribus, & ſequentibus temporibus hanc, in humana corpora, Dæmones poteſtatem eſſent habituri. Quando Marc. 3.
verò? Dum Apoſtolos mittit in orbem terrarũ, cũ *poteſtate Dæmones expugnandi:* dum docet vẽturos Matth. 7.
in nouiſſimo die, qui ſibi aditum ad cælum patere

volent, propterea, quod *Dæmonia eiecerint*: dum asserit doctrinam suam, in vniuerso orbe, Dæmonum ab obsessis corporibus expulsione, confirmatum iri: *Signa*, inquit, *eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo Dæmonia eycient, linguis loquentur nouis, &c.*

Marc 16.

10 *Ad hunc Iudæorum sensum & consensum*: ad Christi facta, iudicium, & promissiones, accedit *exemplum Apostolorum*. Non semel ipsis à Domino data potestas *Dæmones eyciendi. Sed* & Dæmones per ipsos eiectos fuisse hæc eorundem declaratio: *Domine, etiam in nomine tuo subijciuntur nobis Dæmonia.*

Luc 10.

11 Plura pro hac re argumenta nemo desiderat. Forsitã etiã tot à nobis allata, præsertim in re clara, molesta sunt. Veruntamen molesta esse non debent: tum quia ex sacris literis, quarum authoritas maxima est, petita sunt: tum quia fortè necessaria sunt propter eos: qui, nescio quibus, naturalibus morbis homines laborare existimant, quando à Dæmonibus possidentur, & cruciantur. In horum numero non postremas obtinet Leuinus Lemnius, lib. 2. de Occultis naturæ, cap. 2.

12 Horum temeritas iam dictis argumẽtis potest redargui Possunt quoque iidem interrogari: quosnã morbos existimant: qui vt futura homines prædicant; absentia tanquam præsentia referant: peregrinis loquantnr linguis; efficere valeant. An morborum naturalium hi effectus? Nequaquam. Opera sunt Dæmonum; qui in hominibus latitant.

13 Et non solum hi turpiter errant quoque, qui animas quasdam hominum, iam olim defunctorum: Arreptitios & Energumenos inuadere credunt, eásque, quæcũnque nos præsenti disputatione

ne Dæmonibus tribuemus, exiſtimant perficere. Horum turpem, & impium errorem multis demonſtrat Toſtatus Abulenſis, q.124. in 8. Matthei. Nobis ſuffecerit indicaſſe, Neque animas, niſi per diuinam virtutem, ad corpora poſſe redire, poſtquam ſemel illa depoſuerunt: neque pollere ea cognoſcendi vi, qua qui in hominibus latent Spiritus, ſe pollere, rebus ipſis demõſtrant. Conſtitutum igitur ſic, poſſe Dæmones humana corpora ingredi. Nunc reliqua proſequamur.

Cap. II.

Ad hominum à Dæmonibus obſidionem duo eſſe neceſſaria.

QVod aliis in rebus accidit, vt ipſas *eſſe* ſciamus, ignoremus tamen plerunque *quid* ſint: idem pluribus in hoc argumento contingit: vt ſcilicet ſciant Dæmones homines quoſdã obſidere, neſciant tamen quid illud ipſum ſit, ſiue in quo ratio, qua homines obſidere Dæmones dicuntur, conſiſtat. Hæc igitur inquirenda. 1

Ego verò duo *plerunque* neceſſaria eſſe dixerim. 2
Vnum eſt; vt in hominibus ipſis Dæmones ſint: Alterum; vt etiam poteſtatem quandam in eoſdẽ acceperint. Horum ſi alterum deſit, non bene homines à Dæmonibus obſideri dixerimus.

Vtrunque ex iis, qui in Sacris literis *Obſeſſi* le- 3
guntur, colligere licebit. Prius probat: quòd dicãtur Dæmonia homines *intraſſe*, & ex iiſdẽ *eiecta*: *Matth. 13. 15. 17. & 1.*
Poſterius; quod eoſdem *vexarint*: reddiderint *mutos, cæcos, ſurdos*: atque nunc in *aquam*, nunc in

ignem

ignem præcipitarint: nunc per *agros* atque *montes* agitarint: Illa non bene dicuntur, ſi non in hominibus Dæmones fuerunt: hæc omnino confirmāt ipſos in Obſeſſos poteſtatem aliquam habuiſſe.

4 Porrò ad prius illud non ſufficit, vt eo modo in hominibus ſint Dæmones, quo res quædam alicubi eſſe dicuntur, vbi aut ipſarum virtus eſt, aut ipſæ operantur. Multis rebus ſic adſunt, & inſunt Dæmones, quas tamen Obſeſſos eſſe nullus dixerit, requiritur, vt reuera, atque adeò αὐτοπροσώπως adſint, & inſint.

5 Sed tamen quia modi, quibus quædam aliis inſunt, varij ſunt: (quædam enim inſunt, vt accidentia ſuis ſubiectis: quædam, vt partes ſuis totis: quædam, vt tota quædam, & abſoluta, alicui ſuppoſito: quædam, vt motores iis quæ mouent) quomodo Dæmones hominibus obſeſſis ineſſe credendi ſunt?

6 Non inſunt, vt *accidentia* ſuis ſubiectis. Neque enim accidentia ſunt hi Spiritus, ſunt veræ, & perfectæ ſubſtantiæ: atque adeò omnibus omninò his inferioribus perfectiores.

7 Non inſunt, vt *partes* ſuis totis, & compoſitis, Hominisúe partem aliquam eſſe dicemus Dæmonium obſidens? Quam quæſo? corpus, an animam? Tot enim, & non pluribus, partibus homo conſtat. Corporis locum ſupplere nullus dixerit: Vt animæ vices gerat fieri nequit: niſi animam prius è corpore migrare dicamus, atque adeò hominem ipſum eſſe deſinere: quàm Dæmonium aduenìat: quamuis nec tum verè hominis partem Dæmonium dixeris.

8 Credi etiam nō debet, *duas* hìc *perfectas naturas* concur

concurrere, atque in vna hypoſtaſi recipi. In ſolo Chriſto Domino duas naturas, humanam & diuinam, vna hypoſtaſis ſuſcipit. Hoc ipſe ſibi, diuina diſpenſatione, proprium vendicat. Præterea, quæ hypoſtaſis quam naturam præter ſuam propriam, hic ſuſtentabit? An hominis Dæmonum? an Dæmonum hominis? At priuſquam Dæmones hominem ingrediantur, & ſuam ipſi hypoſtaſim habent, & ſuam habet homo: & quemadmodum nec homo vnquam ſuam, ita neque ſuam aliquando Dæmones deſerent.

In hominibus igitur, quos obſident, Dæmones ſunt, vt *motores* in corporibus, quæ mouent, ita ſcilicet, vt nullam corpori hominum qualitatem imprimant: nullum ipſi dent nouum eſſe: nec propriè vnum quid, cum obſeſſo homine, conſtituant. 9

Hoc vnum duorum, quæ neceſſaria diximus, vt à Dæmonibus homines obſeſſi dici poſſint. Verũtamen hoc non ſufficit: requiritur deinde, *vt poteſtatem aliquam in eos, in quibus reſident, acceperint:* eos poſſint affligere, torquere vel aliqua alia moleſtia afficere. Quoniã verò de hac poteſtate alias plura dicenda ſunt, idcirco hoc loco præſens Caput concludimus: ſi duo Corollarij loco adiecerimus. 10 *Cap. 5. 6. 7.*

Primum eſt, cõſequi ex dictis; Non omnes eos dici debere à Dæmonibus obſeſſos eſſe, qui graues ab iiſdem patiuntur perſecutiones; nõ dico in anima ſolùm, aut bonis externis: ſed in ipſo quoque corpore. Quanta à Dæmonibus in corpore perpeſſus eſt Sanctiſſimus Iob? Quanta Sanctus Anthonius? quanta plurimi Sanctorum aliorum? An idcircò hos à Dæmonibus obſeſſos fuiſſe dicemus? 11 *Iob. 1. Athanaſ. vita Ant.*

mus? Quandoquidem primum eorum, quæ hîc necessaria diximus, desideratur; hoc est, quia in iis Dæmones sedes suas non habuerunt, sed extra ipsos positi, mala hæc inflixerunt, nequaquam Obsessos fuisse dicendum est.

12 Alterum est, multos Obsessos dici non debere, in quos etiam ipse Diabolus ingressus est. *Post acceptam bucellam in Iudam ingressus est Diabolus*, sacra attestante historia: sed tamen nō dixerimus facilè Iudam Obsessum fuisse. Quid ita? quia non satis est Dæmonium hominem intrasse, vt *Obscessus* dicatur: requiritur præterea, vt in eundem sæuiendi, vel agendi à Deo obtinuerit facultatem. Quāquam quòd Iudam intrasse dicitur Satanas, ita intelligendum sit, quod Iudæ suggesserit pessimam cogitationem Christi vendendi, vt Euthymius, eo loco, & Didymus lib. 3. de Spiritu sancto, exposuerunt, quod ipsum quoque patet ex Ioanne 13. *Cum*, inquit, *Diabolus misisset iam in cor, vt traderet eum Iudas*, quasi idem sit *intrare* & *immittere in cor*, vt traderet.

CAP. III.

Dæmones non sub externa, & visibili forma in hominibus esse, quamuis sub specie araneorum & muscarum quandoq; conspiciantur.

1 DVo diximus requiri, vt à Dæmonibus homines *Obsessi* dicantur: vt, scilicet, in hominibus ipsi Dæmones sint: deinde, vt in homines Potestatem quandam acceperint. Quoniam verò vtrunque

que variis modis accidere poteſt,de vtroque quæſtio oritur.Ibi quæritur,*An ſub ſpectabili forma, & ſpecie corporea ſint in hominibus* hic,*Quam & quantam poteſtatem in homines accipiant.*

2 Quamuis enim (vt primum illud priori loco abſoluamus)Dæmones *ſpiritus* ſint,& corpora nō habeant:quia tamen corpora aſſumere valent,& nonnunquam ſub muſcarum,& araneorum forma,in obſeſſorum ore cōſpiciuntur: in alijs etiam corporis humani partibus quādoque tuber quoddam excitant,ſub corporea forma homines obſidere quibuſdam exiſtimantur.

3 Verùm corpus hic non neceſſariò aſſumunt Dæmones. Quam enim ob cauſam aſſumerent? Ingrediuntur,vt homines affligant & moleſti ſint: quid hic opus eſt aſſumpto corpore?Fortè non niſi in aſſumpto corpore poſſunt moleſtia parere? Nihil ipſos hic corpus iuuat. Quidquid poſſunt, & faciunt:virtute ſibi indita, abſque corporis ſubſidio,perficiunt.

4 Interim quamuis neceſſarium non eſt, vt corpora aſſumant;ſi tamen velint, aſſumere poſſunt. Poſſunt ſub ſpecie aranei,aut muſcæ in hominibus latere: paruitas corporis, quod aſſumerent, nihil hic impedit. Vt ſub hominis; ita ſub muſcæ atque aranei: ita ſub ſpecie cuiuſcunque animalis,etiam muſca aut araneo minoris, valent latere.

5 Nec latere nouum eſt. Cum ex quodam Cauponis filio(Petrus is dicebatur)Spiritum immundum eiicere Theodorus Archimādrita: ille egreſſum ſuum,magno clamore edito, & in ſpecie *nigræ formicæ*,ex ore obſeſſi prodeuntis prodidit, teſte Georgio Presbytero,in vita Theodori. Sic de

S.Ger

S. Germano, Parisiensi Episcopo, refert in ipsius vita, cap. 27. Fortunatus, Pictauorum Antistes, quòd obsessæ mulieri manum imposuerit, crucem quoque impresserit: Dæmon verò, per nares, in specie *muscæ*, cum sanguine sit egressus. Idem Germanus, aliàs ab infestante Dæmone Diaconum liberauit: qui ab eodem visus est discedere, in specie *paruulæ auis*. Et hoc ortunatus, cap. 52.

6 Hæc igitur possunt Dæmones. Vtrum verò semper muscæ aut araneorum corpus assumpserint, dum animalcula hæc in Obsessorum ore conspecta sunt, definiri vix potest. Esto hæc ipsi animalia fecerint, & agant, necesse tamen non est, vt in illis semper latitent, possunt iis assistere, & extra ipsa positi, quò libet impellere.

7 Atque, vt, quod sentio, dicam, putarē has muscas, atque hos araneos, nec sponte à Dæmonibus fieri: nec ipsos, nisi inuitos & coactos iisdem sæpe, vel assistere vel inesse: sed Dei mandato cogi, vt similia animalcula & forment, & vel in ipsis latitent, vel præsentiam suam per illa testentur.

8 Huius rei illud non leue argumentum dixerim, quòd propemodum in solis Exorcismis, hisce suam præsentiam prodant, & suum ex hominibus egressum, horum recessu, testentur. Quid verò? An non, si aliàs vnquam, tum maximè, vt lateant, desiderare existimandi sunt? An fortè ab hominibus exire cupiunt, vt hac ratione discessum suum manifestare velint? Si aliàs vnquam, tum maximè latere desiderant. Ne pellantur suis sedibus: aut expulsi videātur, vehementer adlaborant. Quos igitur araneos aut muscas notamus: eos, quamuis

Dæmo

Dæmonum opera, Dei tamen mandato adesse credamus.

Eodem Dei mandato fieri crediderim, vt sordida hæc, & hominum generi inuisa animalcula assumant, & exhibeant. Facit hoc Deus ad Spiritus illos confundendos: Facit ad homines instruẽdos. Intelligunt illi peccato suo factum esse, vt sordidissimis animalibus conferantur: Intelligunt hi miserum esse illorum imperio subesse, qui non nisi cum *muscis* possunt esse molesti; aut cum *araneis* lethale venenum infundere. 9

Porrò si quando in dictis animalculis degunt, non credendum est, in nulla tum alia corporis hominis, qui obsidetur, parte, molestos esse posse, quàm vbi animalia illa conspiciuntur. Quamuis, verbi causa, supra, vel infra linguam musca se contineat, qui tamen in musca latitiat Dæmon non linguam solùm; verùm etiam alia corporis membra, potest mouere, agitare, affligere. Id in Obsessis probant nunc ingentes, quos excitant clamores; nunc oculorum in varias partes contorsiones: nunc brachiorum proiectiones: nunc totius corporis motus vehementissimi & inordinatissimi. *Maior est,* inquiunt, Theologi, *sphæra actiuitatis Dæmonum, quàm præsentia substantialis.* 10.

CAP. IIII.

Dæmones dum homines obsident in corpora potissimum potestatem habere & exercere, in animam verò non ita multum posse.

QVænam Dæmonum in homines, qui obsidentur, potestas, sit: & quanta illa sit, nunc 1.

inquirendum est. Ibi quæritur *ad quidnam hominis eorundem potestatis extendat*: hîc *Vtrum quantum valent hominibus obsessis incommodent*, aut incommodare possint. Ad prius, Capite hoc: ad posterius, sequenti respondetur.

2 Habere Dæmones in obsessos potestatem, superius demonstratum est. quia verò duabus partibus illi constant, *anima* & *corpore*: vtrum ad animam tantùm, an etiam ad corpus; an ad vtrunque hæc se extendat, in quæstionem vocatur.

3 Constitutum hîc primò sit, Dæmones incommodare *Animæ, quatuor modis* posse intelligi. videlicet, in ipsa animæ substantia: in eius facultatibus: in habitibus, quibus animæ instructæ sunt: denique in operationib. In substantia animæ, si in bruti aut alicuius bestiæ transmutent: in facultatibus, si illas tollant: in habitibus, si ijsdeem animam spolient: in functionibus, si aut inuitum hominem ad aliquas cogant, aut in proprijs impediant.

4 Constitutum sit secundò, etiam *Corpori* incommodare multis modis posse intelligi. Potest siquidem corpus interfici: potest vsu membrorum priuari: potest destitui: qui in ipso resident, sensibus: potest deformari: potest affligi morbis: potest multis & varijs modis excruciari. Hæc sint constituta.

5 Nunc verò, cui parti Dæmones incommodant in misera mortalium obsidione? quæ mala afferũt: Respondemus breuiter, quod res est: *In corpora potissimum ipsis potestatem datam esse: In animas nihil, aut parum, posse: Detrimenta tamen quædam animabus afferre.* Hæc tria explicemus:

6 In *corpora* Dæmonib. facultatem dari, eorum exemplis, qui obsessi aliquando leguntur, manifestũ est.

eſt. Quotus quiſq; eſt, cui non aliquod in corpore detrimentum allatum eſt? Conſulamus Sacras literas. Docent illæ alios ſenſibus orbatos: alios nunc in aquam, nũc in ignem præcipitatos: alios ita excruciatos, vt, relictis vrbibus & hominum ſocietate, in montibus & deſertis locis, veluti beſtiæ quædam feræ errauerint. *Matth. 12. 15. 17. Lucæ 4. 8. 6. & 16.*

7 Similia in Sanctorum Annalibus legimus. Miſerrime Dæmon vexabat filiam Imp. Gordiani; quem S. Triphon eiecit; quemadmodum in eius Vitã teſtatur Metaphraſtes, 1. Februarij. Spumabat ore, & dentibus frẽdebat mulier, quàm profligato Cacodæmone, priſtinæ incolumitati reſtituit. Laurentius Iuſtinianus, ſanctus Venetorũ Patriarcha, teſte Bernhardo Iuſtiniano, in eius Vita cap. 8. Item Dæmon grauem & diuturnum, viginti ſex annorum, morbum attulit filiæ cuiuſdam viri principis, qui expulſus tandem à Theodoro Archimandrita, quemadmodum de Theodoro ſcribit eius diſcipulus Georgius presbyter, apud Surium. Tom 2. Lacerabatur ab vltore Dæmone Folcardus quidã, homo magnarum per ſe viriũ, qui S. Arnolphum pacem ſuadentem arroganter contẽpſerat. Scribit hoc in Arnolphi Vita, cap. 41. Liſiard. Simile quid refert Ionas Abbas, in Vita S. Columbani, de alio quodã Dæmoniaco, à S. Columbano reſtituto. De S. Bernado li. 2. cap. 3. ſcribit VVilhelmus Abbas, quòd à vexatione liberauerit mulierem quandam, cuius faciem Spiritus ita deformabat; vt monſtrum, non hominem dixiſſes.

Sed & ſuo ex hominibus egreſſu egregiè probant in *corpora* ſe poteſtatem habere. Docent hoc ſequentia exempla. Puer, ex quo Dæmoniũ eiecit

S. Macarius, supra quàm credi potest, toto corpore intumuit; &, qua parte potuit, maximam aquarum copiam effudit, cum ingenti vocis elatione: teste Palladio in vita Macarij.

Qui ad preces S. Catharinæ coactus est cedere Spiritus, inflauit guttur obsessi: ita Raimundus in Vita eius. Qui ad imperium Theodori Archimandritæ reliquit filiam principis, de quo Thesi 7, huius capitis, grauissimè eandem prius terræ allisit: quemadmodum & Nicomachum, à Christiana religione Apostatam, ille cuius 15. Martij. folio 298, Tomo 3. mentionem facit Surius.

Cum fædo vomitu Obsessum reliquit, quem expulit S. Bernardus ex puero; cuius in Bernardi vita mentio fit lib 2. cap. 3. Sic cum vomitu egressus est alius; quem S. Columbanus eiecit Parisijs; sed vomitu horrendo; quo obsessus ipsa viscera videbatur effusurus quemadmodũ in Vita Columbani testatur Ionas. Talis, si non fœdior, fuit vomitus, quo discessum suum testatum esse voluit, quem Romæ S. Dominicus ex Dæmoniaca eiecit. siquidem vix præter sanguinem magnamque vim carbonum, cum grauissima corporis distractione, quidquam infelix reddebat. Vide cap. 4. lib. 2. vitæ eiusdem Dominici. Denique, quæ liberata scribitur per S. Hupertum Espiscopum, primùm in terram veluti mortua concidit: mox fœdam saniem ex ore reddidit: & tandem quasi ad se rediens de libertate restituta sibi, per S. virum, gratulata est In Vita S. Huperti, Tom. 6. fol. 49. apud Surium.

9 1. Cor. 5. Nec aliud docet Apostolus Paulus Cùm enim Corinthi quidam fornicationem commisisset; & talem quidem, qualis vix inter gentes reperitur;

tradi

tradidit eundem Sathanæ Apostolus *in interitum*, vt ipse loquitur, *Carnis*, vt Spiritus saluus fieret. 10

Porrò *Animabus* hominum obsessorum propriè non incommodare Dæmones, inductione eorum quæ ad Animas pertinent, liquidum est.

Nunquam *animas* hominum, quos possident, in brutorum formas transmutant. quid quod nec transmutare valeant? Hoc quia aliàs (De prodig. Apparit. viuorum) demonstratum est, hic longius persequi necesse non est. 11

Nunquam possunt easdem *viribus & facultatibus*, ipsis congenitis & ingeneratis priuare. Vsque adeò altas illæ in animabus, & firmas, radices egerunt; vt propemodum tam sit difficile eas tollere, quàm ipsas animas in nihilum redigere. 12

Sic tollere nequeunt *habitus*, qui in iam dictis sunt facultatibus Non possunt animas priuare diuinis illis charismatibus; fide, spe, & charitate: Non possunt spoliare reliquis virtutibus; siue illæ in voluntate sedes suas habeant; siue in intellectu. Ea animarum hominum ea facultatem earum, & qui in ipsis sunt, habituum conditio est; vt solius Dei merum & absolutum admittant imperium; ipséque solus hic summum ius habeat. 13

Nequeunt etiam renitentes animarum vires ad *operandum* impellere Dæmones. Norunt hoc omnes. inde verò clarum & manifestum est, quod alioquin ad peccatum, etiam inuitos, mortales, nequam Spiritus impellerent: contra illud B. Augustini, Serm. 197. qui est Sermo 2. in Dominica prima post Trinitatis. *Latrare*, inquit, *potest Diabolus, solicitare potest: mordere omnino non potest nisi volentē. Non enim cogendo, sed suadendo nocet, nec extorquet a* 14

nobis conſenſum, ſed petit. Eadem eſt Cyrilli Hieroſolymitani ſententia, Catecheſi 4. Illuminatorũ, *Liberum arbitrium habet anima. & poteſt quidem Diabolus incitare: cogere autem, præter voluntatem, non poteſt. Subijcit tibi fornicationis cogitationes: ſi vis, probas: ſi nolis, improbas.* Quocirca bene docet Caſſianus. Coll. 7. cap. 8. Dæmones ita noſtris profectibus aduerſari, vt eos tantummodò *incentores malorum,* non etiam *impulſores* credamus.

15 Sed tamen (hoc tertio loco probandum erat) dum in *corpora* ſæuiunt Dæmones, *quædam etiam ad animas detrimenta perueniunt.* Vt enim dum corpora bene habent, haud parua ad animas redundant emolumenta: ita afflictis, & malè affectis corporibus, ſua etiam detrimenta ſentiunt animæ.

16 Inter hæc primum eſt, quòd, quo tempore in corpora ſæuiunt, animas *virtutum à ſtudijs,* vacare ſit neceſſe; cùm pleraque non niſi corporum miniſterio adiutæ, aut profectò corporum moleſtijs non impeditæ, exercere valeant.

Deinde, quamuis hominum voluntates per ſe impellere nequeant; plurimum tamen poſſunt inclinare, & quoddam quaſi pondus, vt malum ſequantur, addere. Iidẽ nunc faciunt motus quoſdam quibus facilè ſe voluntas accommodat; in corpore excitando nunc obiecta, quæ alliciant, ſenſibus tam internis, quàm externis proponendo.

Accedit tertium: quod quando ſenſuum officio priuant (quod haud raro fit) omnibus quoque *commodis priuent: quæ ſenſuum beneficio obtinentur.* Quot verò, & quanta hæc aliquando ſunt? Docere hoc poteſt vnus Euangelicus ſurdus, magno ſuo detrimento.

Quar

Quartum est, quod etsi *habitus virtutum* non tollant; frequenter tamen ita *debilitent*, vt nullam, vel exiguam in hominibus functionē habeant. Quod dicimus, in illis maximè habitibus, quos Intellectuales dicimus, liquet. Quamuis enim hi in animæ facultatibus sedes suas habeant, phantasmatum tamen egent ministerio, si actus suos exercere debeant. At in phantasmata plurimum possunt, qui homines occupant, Dæmones. Quid quòd omnia quandoq; confundant? quandoque etiam magna ex parte tollant? Hæc Dæmonum in obsessis corporibus potestas. Quanta vero? Hoc sequenti Capite. 19

CAPVT V.

Finitam & certam potestatem dari Dæmonibus in obsessorum corpora: & hoc iustas ob causas.

MAgnam Dæmonum potestatem esse norunt, qui in Sacris literis, etiam modiocriter, sunt exercitati. Alicubi sic dicitur. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeat. Omne sublime videt. Ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ.*

Veruntamen hanc non semper permittuntur in eos, quos ingrediuntur, exercere. Nisi frenum tortoribus iniectum esset, nullus Obsessorum, salua vita, eorum tyrannidem effugeret. Neq; enim ipsis deest voluntas & libido, extrema damna mortalibus afferendi; neque potestas aut vires. Cur igitur extrema mala afferunt? quia afferre non permittuntur ligatæ ipsorum sunt manus. 2

Vide Tostatum, quæst. 66. in 15. Matthæi, & Maldonatum, in 22. cap. Lucæ. super illud; *Ecce Satanas expetiuit.*

Et profectò pulchrè. Nam neque pro libidine possunt Mortales ingredi. Dei hic sententiam, & voluntatem expectant. Quemadmodum igitur non nisi Dei facultate obtenta, corpora ingrediuntur; ita quoque hominibus, quos ingressi sunt, incommodare plus non valent; quàm à Deo Opt. Max. permittitur, & præscribitur.

4 Hinc tanta in obsessis hominib. differentia. Quidam grauissima patiuntur tormenta; quemadmodum filia mulieris Chananææ. Quidam nō ita grauia; vt qui audiendi sensu vel facultate loquendi per Dæmones priuati leguntur. Et grauissima patiebatur mulier de qua in vita. S. Bernardi, lib. 2. cap. 3. siquidem linguam insidens Spiritus, ad modum proboscidis elephantinæ protrudebat; & vultum mirum in modum deformabat: Illa quoque, quæ vrgente S. Dominico, pro eius sanitate solicito, cum Spiritu maximam & carbonum, & sanguinis vim euomuit. in Vita Domi. lib. 2. ca. 9. Nō ita grauia; puella, quæ solùm auditu tēpli, ab inhabitante Dæmone, prohibebatur; quam curauit S. Germanus Episcopus Parisiensis teste Fortunato, in eius Vita, cap. 27. Præterea, quidam in se sunt crudeles: alij in alios. In se illi, de quibus Marci. qui *se concidebant lapidibus*: in alios, hi, de quibus Matth. 8. qui ita erant *sæui, vt nemo auderet transire per viam*: & de quibus Actorum. 19. qui *insilierunt in suos adiuratores, iisque dominabantur. ita, vt hi nudi profugerent & vulnerati, ex obsessorum manibus.*

Matt. 15.

Luc. 11.

Dæmon,

Dæmon, qui ſanctiſſimi Iob felicitati inuidebat, non plus potuit; quàm à Deo fuit permiſſus. Sæuiit primùm in fortunas Iob; ſed Sancti viri corpus attingere nequaquam fuit auſus. Sæuiit deinde, Deo permittente, in corpus: ſed, ne quod damnum animæ afferret, prohibitus eſt. 5

Ipſa quoque moleſtia, quæ hominibus affertur, docet certas Dæmonib. leges præſcribi. Cùm enim hîc plerumque pœna quædam de peccato ſumatur; cõuenit, vt quia hæc, Deo authore, exigitur; pro qualitate delicti exigatur; & patiatur homo, non quantum Dæmones deſiderant: ſed quantum æquitas poſtulat. 6

Finita igitur eſt Dæmonum, in obſeſſis hominibus, poteſtas: certis legib. aſtricta eſt. Tantum poſſunt, quantùm ipſis à Deo permittitur. Quantum verò hoc? Notũt id, qui torquent, Dæmones. Nouit, à quo ipſi poteſtatem habent, Deus Opt. Max. Ignorant miſeri mortales, qui dæmonum carnificinam ſuſtinent. 7

Cæterùm, res hæc *ſingularem Dei erga humanum genus demonſtrat prouidẽtiam*; & teſtatur charitatem: & quidem tum maximè, quando in eos ſæuiunt Spiritus, qui hoc ſibi malum ſuo vitio comparârunt, quamuis enim extremam tyrannidem ſummo iure in hoc exercere poſſent; non tamen exercere permittuntur; Deo, pro amore, quo homines proſequitur, Dæmonum ferociam continente. 8

Addit deinde *animum miſerè afflictis*, & obſeſſis hominibus: facit vt patienter ferant, quas ſuſtinent moleſtias. Quia intelligunt non permittẽte ſolùm Deo flagella immitti; ſed etiam pro eius 9

volūtate tēperari: nec plus in homines poſſe coniuratiſſimos humanæ ſalutis hoſtes; quā magnis iuſtiſſimíſque de cauſis, à Deo Opt. Max. permittuntur.

10 *Declarat* tertiò *miſeram Dæmonum conditionem*: qui cùm plurimum incommodare valeant; incōmodare quoque vehementer deſiderent; non tamen permittantur incommodare; ſed prorſus ab eius, quem ſummè oderunt, pendeant voluntate & permiſſu.

11 Licet denique hinc intellligere, *iuſtam eorum querelam, qui Dæmonum ſe aſtutia & potentia circumueniri cauſantur*: & inuitos ad peccata trahi afferunt. Non permittit clementiſſimus Deus, vt quantum valent, in corpora ſæuiant Dæmones; permitteret, vt innocentes circumuenirent, & inuitos ad peccatum pertraherent? Vſque adeò voluntarium eſt peccatum, vt niſi voluntarium ſit, peccatum non ſit.

CAPVT VI.

Sextuplicia ferè mala obſeßis hominibus per Dæmones poſſe afferri.

1 VAria incommoda & mala humanis *corporibus* Dęmonum ſtudio & opera afferri nemo dubitat. Nos ſuperius (cap. 4.) horum ſex genera annotauimus. Nam vel mortem afferunt: vel membrorum vſu priuant: vel aliam homini minimè conuenientem formam procurant: vel ſenſibus ſpoliant: vel affligunt morbis: vel occultis rationibus & modis excruciant.

Et hæc

Et hæc partim perficiunt, dum homines obsident; partim dum extra homines sunt constituti. & nunc quidem per seipsos; nunc per eos, qui ipsis operas suas locant. 2

Quædam nihilominus frequẽtiùs, dum in hominibus latent, operantur: quædam frequentiùs extra homines positi: quamuis omnia, & in hominibus positi, & omnia, extra eosdem cõstituti, perficere, tam per se, quàm per alios valeant. 3

Nos, quæ obsessis mala afferunt, assignamus. Hîc primum frequentissimúmque est, quòd *occultis* quibusdam *rationib.* quibus medicorum arte remediũ afferri nequit, *excrucient*, & torqueãt Vnde & *spiritus infirmitatũ* dicuntur, Lucæ 13. Ita illorum quidam Virginem afflixit, cuius B. Hieron. in Vita Hilar. meminit. Ita ali[9] Principis cuiusdã filiam, cuius in vita Theodori Archimandritę fit mentio, viginti annis, morbo grauissimo excruciauit; Qui tamen morbi author ignorabatur: donec puella ad Sanctum virum adducta, ipse se prodere coactus est. Ita tertius Petrum, filium cuiusdam cauponis, cuius in eiusdem Theodori Vita describitur curatio, vexauit. Grauissima enim ille cordis patiebatur tormenta: sed quòd à Dæmone illa afferrentur, ignorabat. intellexit autem confessione S. Theodori; qui & Obsessi faciem cruce signauit. & cor eiusdem pulsando, Dæmonium abegit. Vtrumque hoc in Vita Theodori recenset Georgius Presbyter, eius discipulus, apud Surium, Tom. 2. 4

Alterum est, quòd *sensibus priuent*. Illustre huius exemplum præbent Sacræ litteræ, in Dæmonio muto, 5 *Luc. 11.*

muto,

muto, & surdo; quod Dominus eiecisse legitur. Neque enim credendum est Dæmonium mutum fuisse & surdum. mutus & surdus fuit Dęmoniacus: & quidem Dæmonij opera, quod mutum & surdum appellatur. Sic sexennio vsu linguæ priuasse spiritum quãdam mulierem, testatur in Vitâ Abbatis Possidonij. Sect. 7. Palladius. Huc refero quòd sensus præstigiis fascinent, & ludificationibus miris imponant mortalibus: vt Obsessi credant se percipere, quæ reuera non percipiũt. Hoc forsitan in Nabuchodonosore locum habuit: si tamen in bouem se conuersum esse existimauit: de quo plurima Tostatus, quæst. 115. in octauum Matth. Similiter in Abbate Moyse: de quo Cassianus, Collat. 7. cap. 17. quod traditus Dæmonï, *humanas* (vt loquitur) *egestiones ori suo ingesserit.*

6 Tertium est, quòd *naturalem hominum formam interdum destruant*, &, nescio quam, peregrinam, humanis functionibus minimè conuenientem, inducant. Et huius exemplum Sacræ litteræ suppeditant, in muliere, quæ decem & octo annis ita inclinata incessit, vt sursum respicere prorsus nequiret. Tale malum, quemadmodum & secundũ illud, cuius præcedenti Thesi mentio facta, mulieri obsessæ attulit Dæmon, per S. Bernardum aliquãdo eiectus. Is siquidem miseram & auditu, & visu, & loquela priuata: & eiusdem linguam sæpe in modum proboscidis elephantinæ protrudebat: vultum quoque ita deformabat: vt monstrum, non hominem referret. Vide caput 46 huius Disputationis.

Luc. 13.

7 Quartum est, quòd *imaginationem hominum*

eorum

corrumpant,& ad quādam quaſi rabiem adigant, crudelibúſque beſtiis reddant ſimillimos : vt non rarò neceſſe ſit vincula miſeris adhibere,& compedes; ne vel ſibi,vel aliis noceāt. Ita afflixit Dæmonium eos, quos Euangeliſta refert latitaſſe in ſepulchris,& furore percitos ſæuiiſſe nūc in prætereuntes, nunc in ſeipſos. *Marc. 5.*

Quintum eſt, quòd eò quandoque redigant mortales,vt omnino ſibi *mortem cōſciſſere videantur debere*; neque id rarò tentent. Simili Spiritu vexabatur, quem S. Marcus refert alliſum terræ fœdè ſpumantem,dentibus ſtridentem, areſcentem : frequenter etiam in ignem & aquam præcipitatum. 8 *Marc. 9.*

His ſextum malum addiderim, *mortem ipſam*, quam interdum afferunt. Quid aliud moliebatur cuius iam dictus Marcus meminit? Procurauit eandem Dæmonium (vt Sigisbertus in Chron. teſtatur) quod Gundericum Vandalorū Regem, poſtquam,capta Hiſpali, Dei templum illud prophanaturus eſſet ingreſſus, inuaſit.mox ſiquidem iuſto Dei iudicio, miſerè Regem contrucidauit. Et Nicomachum qui in tormentis Chriſtum negarat, Dæmonium ingreſſus eſt; nec vexandi finē fecit, donec linguam ille ſibi dilanians, & præmandens,expirauit. Vide Surium, Tom.3.fo.298. Sic crudeliter & miſerè hanc vitam finiuerunt; qui,quod res Eccleſiæ inuaſiſſent, à Dæmonibus fuerunt correpti : de quibus Cap.30. huius Diſp. Et ex Cap.155.Prati ſpiritualis recitat Cæſar Baronius,Tom.7.circa annum Chriſti 586.fol.621. fuiſſe tres Sarracenos (ob crudelem mortē,quam adoleſcēti cuidam Tyrio,per Idolorū ſacerdotes. 9

mac hi

machinabãtur) à Dæmonibus obſeſſos, qui mox in ſeipſos ſæuierint, ſeq; mutuis vulneribus confecerint.

10 Hæc præcipua ſunt, quæ *corporibus* obſeſſorũ mala Dæmones procurãt. Si quæ ſunt alia, ad hęc facilè reuocantur. Sed quibus rationibus & modis hæc efficiunt? Id ſequenti Cap. explicandum.

Cap. VII.

Quinque propemodum modis Dæmones Obſeſſorum corporibus moleſtias afferre.

1 QVemadmodum variis malis mortalium genus Dæmones ſolẽt affligere; ita varias habent rationes & modos, quibus affligunt. Nos, quia de obſidẽtibus Spiritibus tantùm diſputamus, illas ſolum perſequemur, quibus iis, quos obſident, nocent.

2 Mortalibus igitur, vel per ſe ipſos incommodãt, abſque vllius creaturę ſubſidio, vel opera ſeu miniſterio aliquarũ creaturarum, quibus libenter, vt tantò grauius affligant, vtuntur.

3 Per ſe illi incommodaſſe videntur, quorũ Sacræ Paginæ meminerũt: Per creaturas etiam, qui noſtris temporibus, poſtquam ex hominibus eiecti fuerunt; vel aciculas, vel crines, vel clauos, vel vitrorum partes, ſuæ crudelitatis argumenta, reliquerunt; quæ mox, Dæmonibus pulſis, illi, qui Obſeſſi fuerant, euomuerunt. Sed & præcedentia ſæcula hîc ſuggerunt exempla. Referimus vnũ ex Vita S. Dominici, lib. 2. cap. 9. Huius concionem, cum Dæmoniaca quædam, in frequentiſſima turba ſedens, magnis editis clamoribus, inter

interturbaret; ſilentium Spiritibus imperat vir ſanctus(ſeptem erant, & ſinguli ſuis ſe vocibus prodebant) & facto Crucis ſigno, in Chriſti nomine egreſſum imperat. quid verò? Mox magnam carbonum & ſanguinis vim, per os euomit mulier, & vnà cum Spiritu animam credebatur exſpiraſſe.

Poſterior hæc ratio rariùs apud Obſeſſos locũ habet. vſitatior eſt apud eos, quorum opera Dæmones vtuntur; Magos loquor, & Maleficos: At prior in vſu hic frequentiùs eſt. Ideò enim Spiritus nequam ingrediuntur homines; vt per ſe noceant; per ſe affligant; per ſe detrimenta humanis corporibus afferant. 5

Quæcunque verò mala afferunt, *quinque* modis efficere videntur. Phantaſiæ & ſenſuum faſcinatione: virium hominis infirmatione: corruptione organorum: aliquorum membrorum aut contractione, aut diſtractione: denique corporis depulſione ſiue impulſu. 6

Primò modo efficiunt, vt mortales ſibi perſuadeant, ſe ſuos hoſtes cernere: cernere cruẽtas beſtias: cernere Dæmones, qui mortem & alia velint afferre, iudicent etiam ſe in beſtias cõuerſos, & ob id in alios, tanquam feræ crudeliſſimæ, ſæuiant. Hic modus in illo Dæmoniaco locum videtur habuiſſe, qui gladio armatus vrbem peruolitabat, & quoſcunque obuiam habebat, petebat; quẽ Arſacius curauit: teſte Sozomeno. lib. 4. c. 15. 7

Virium infirmatio formam plerunque hominũ deſtruit & diſſoluit. Quemadmodum enim ſi illę integræ ſint, ſingula ſuis locis membra conſiſtunt, & officia exequuntur: ita ſi infirmentur,

pulcher

pulcherrima hominis constitutio dissoluitur, & ad officia sua præstanda membra redduntur inepta. Hac effecit in puella quadam, ne templum posset ingredi. Eius meminit Fortunatus, cap. 27. in Vita S. Germani Episcopi Parisiensis.

8 *Corruptio organorum* sensus, qui in organis sunt, vel tollit, vel hebetat. Quoniam sensuum ea ratio est; vt non nisi mediis corporeis organis functiones suas exequantur: quæ cùm Dæmones perdãt, non mirum si sensus tollant. Ita sensibus priuauit *mulierem* (vt vocat VVilhelmus S. Theodorici Abbas, in Vita S. Bernardi. lib. 2. ca. 3.) *grãdæuam*, quæ nec videre quidquam potuit, nec audire.

9 Dolorum, quos Obsessi quãdoque vehementissimos experiuntur, causam non malè dixerimus membrorum quorundam, quam Spiritus in certis partibus efficiunt, *contractionem & distractionem*. Maximos enim dolores hac ratione excitari, vel solæ parientes mulieres probant. Posse verò Dæmones membra contrahere, & distrahere non ignorant docti. at contrahere & distrahere id probat; quod non iidem semper dolorès perseuerant: tum illud etiam, quòd nulla medicorum arte iis possit adhiberi remedium. Hac ratione vsus est Dæmon, qui puerum, à S. Macario curatum, discruciauit; cuius in modum vtri totum corpus intumuit. de quo Palladius in Vita Macarij.

10 *Depulsione* denique & *impulsu corporum* Spiritus mala afferunt. Exemplo is sit, quẽ nunc in ignem nunc in aquam Euangelista testatur præcipitatũ. in quo vexando hanc solam rationem Dæmon obseruasse videtur.

Marc 9.

His

His modis à Dæmonibus detrimenta hominum corporibus procurantur. Et aliquando hos omnes adhibent:aliquando plures;aliquando pauciores.Prout nocere desiderant & possunt;ita modos nocendi assumunt.

CAPVT VIII.

Dæmones nec semper Obsessos molestare,nec iisdem semper adesse.

1 CVm iam dictis proximè coniuncta videtur Quæstio : *Vtrum semper,dum corpora obsident Dæmones , molesti sint & crucient: Semper etiam in corporibus eorum,quos obsident,resideant.* Quæstioni occasionem præbet diuersitas causarum efficientium, & agentium.

2 Duplicis enim generis agentia sunt. Quædam cum ratione agũt, & liberè;quædam sine ratione, & ex necessitate. Hæc ad vnum determinata sunt; illa possunt contraria agere. Hæc quoniam ex necessitate agunt, non possunt, non agere;illa, cùm agant liberè, possunt nunc agere, nunc actiones suas intermittere.

3 Si in posteriori agentium classe Dæmones essent, facilis ad propositam Quæstionem esset responsio. Nunc quoniam prioris sunt ordinis, & liberè agunt, non ita facilis:præsertim si de facto sit quæstio: Nã si de Spirituum potestate agatur,non ita magna difficultas.

Atque vt de *potestate* Dæmonum hoc obiter dicatur, dubium non est, quin omni, quo sunt in homine, tempore molesti esse valeant, & deside-

rent. Non ipsis deest nocendi libido: non desunt vires. & quæ in nobis exercitio atque actuum frequentatione fatigantur & franguntur, ne continuas actiones exerceat; illæ nequaquam in Dæmonibus languescunt, aut deficiunt.

4 Sic dubium non est, posse ipsos corpora, quæ inhabitant, ad tempus deserere. Tanta ipsorum cum corporibus vnio non est; quanta animarum cum suis corporibus. In corporibus nō nisi, vt motores quidam sunt, quocirca facilè ipsis est, tam corpora deserere; quàm ingredi.

6 Quod si de quibusdam legatur, quod exire ex hominibus desiderauerint, nec tamen potuerint; non hoc defectu fit virium ipsorum Spirituum; sed iusto Dei iudicio, & Sanctorum hominum summa, quam in Spiritus habent, potestate. Talis fuit, qui ad Theodorum Archimandritam adductus, certo loco hærere, nec ex eodem discedere iussus est: neque discedere, etiam post multas preces, potuit; nisi quando discedendi facultas ipsi per S. Theodorum est facta. Hoc Georgius præsbyter, in Vita Theodori.

7 Verùm, quemadmodum diximus, de *potestate* præsens Quæstio non est; Quæritur, Vtrum quod possunt *faciant*; Vtrum, inquam, à cruciatu miserorum, in quibus sedes suas collocarunt, aliquando desistant: atque Vtrum eosdem nonnunquam ad tempus planè deserant, & postmodum domicilia sua repetant.

8 *A cruciatu quandoque desistere* certum est. Videmus nonnunquam nihil prorsus molestiarum Dæmoniacos perpeti: Videmus eosdem nihil ab ijs, qui à Dæmonum infestatione liberrimi sunt, differre.

ferre. Ipsi quoque nihil pati palam testantur haud rarò. Quocirca si nostris sensibus nolumus; ipsorum confessioni fidem adhibeamus. Et exemplum Saul Regis egregiè nobis hic seruit: quem Sacræ literæ docent à malo Spiritu obsessum fuisse, 1. Regum 16. & tamen de eodem eædem sacræ literæ testantur, quod aliquando *leuius habuerit, & sit refocillatus*: Lege finem Capitis 16.

Confirmat hoc Obsessus, cuius in Vita S. Par- 9
thenii fit mentio. hic, quamuis multis annis Dæmonium habuisset, de Dæmonio tamen nihil, vel ipse, vel alij suspicati sunt; donec præteriens Sanctus Parthenium, se prodidit. Legendus Metaphrastes in Vita Parthenij, 7. Februarij. Confirmat & puella Magnofledini cuiusdam, cuius in Vita S. Germani meminit Fortunatus Episcopus, Cap. 27. Quamuis enim multis annis obsessa hæc fuisset: nullam tamen molestiam sustinuerat à Spiritu: hoc solum nequam efficiebat; ne templum ingressura progredi posset. Aliud huius exemplum Thes. 4. habes, cap. 47. huius disputationis.

Sed neque Deus permittit, vt semper affligant. 10
Sæpè ille iustitiam suam misericordia temperat. Dum iustus est; non obliuiscitur misericordiæ. Adde, quod nec tantæ hominum vires sunt, vt continuas Dæmonum infestationes, & molestias ferre valeant. Quid quod ipsi Spiritus non velint semper molesti esse? ne, scilicet, continuata vexatione vitam obsessorum abbreuient; & sedes suas, quod ægerrimè faciunt, relinquere cogantur. Hoc de cruciatu.

11 Difficilius fit, vt *ad tempus homines deserant* maligni Spiritus. ſed tamen fieri quandoque ſubiecta hiſtoria docemus. Quo die Martinus Lutherus ex hac vita diſceſſit, Dæmoniaci, qui Gheolæ (Brabantiæ oppidũ eſt) plurimi erant & patrocinio S. Dymnæ, (Quod iam multi multis annis experti erant) libertatem expectabant, omnes à Dæmonibus liberati ſunt; & nõ ita multò poſt, ab iiſdẽ rurſus occupati. Res hæc obſcura non eſt. Siquidem poſtera die, cùm miſeros homines rurſus crudeles Spiritus torquerent, interrogati; Vbi pridie delituiſſent; reſponderunt ſe mandato Principis ſui, ad noui Prophetæ, & fidelis cooperarij, Lutheri, funus euocatos fuiſſe, eidémq; interfuiſſe. Confirmauit hanc rem Lutheri famulus, qui miſerè morienti affuit, & cum per feneſtram, auræ capiendæ gratia, aſpiceret, non ſine magno terrore vidit, nõ ſemel, plurimos teterrimos Spiritus, haud procul inde ſaltantes, choreas agentes. Confirmarunt corui, qui Lutheri corpus, cum Iſlebio VVittembergam deferretur, magno clamore comitati ſunt. Vide Bredenbach. Collat. lib. 7. cap. 39.

Simile quid de Brunone, Pincerna Comitis de Monte, legimus, Nam & eius funeri Dæmones, qui Obſeſſos ad tempus reliquerant, interfuiſſe dicuntur. Vide Cæſarium, lib. 12. cap. 10.

Putarem & illos Spiritus reliquiſſe, ad tempus, homines obſeſſos, qui tempeſtatis authores fuerunt; quando cum ſuo ſocio S. Lupo in Britanniam profectus eſt, Euangelij ſeminandi cauſa, Germanus, Epiſcopus Antiſidiorenſis: & quidem eo tempore reliquiſſe, quo tempeſtatem in mari, vt profectionem impedirent, Spiritus excitabant.

Quid

Quid enim? An vno eodemque tempore in corporibus obſeſſis fuerunt,& mare turbarunt? Vide Conſtantium presbyterum in Vita Germani, cap. 22, apud Surium, Tomo 4.

Sic à puero aliquo, quem torquebat, receſſiſſe Spiritum, quem Dominus eiecit; Apoſtoli autem eiicere non potuerunt, inſinuat S. Lucas cap. 9. cum ſic loquitur. *Et vix diſcedit, dilanians eum.* Notauit hoc Maldonatus in 9. Cap, Lucæ. Et Saul non tantum leuius habuiſſe; ſed etiam à Dæmonio prorſus fuiſſe liberatum, (qui tamen iteratò ad eundem redierit) docebitur Cap. 49. huius diſputationis.

CAPVT. IX.

Per quam partem Spiritus Nequam homines obſeſſos ingrediantur.

1 QVi Dæmones corpora quædam, quamuis tenuia, habere credunt, neceſſe habent aſſerere, eſſe quoſdam in homine meatus, per quos ingrediantur: & præterea certa quædã eſſe loca, vbi iam ingreſſi commorentur, & ſedes habeant. Naturæ enim iure non permittunt, vt ſe duo corpora penetrent. Eadem etiam poſtulant, vt certum definitumque locum omnia obtineant.

2 Qui ipſis nulla corpora (quæ probabilior Doctorum ſententia eſt) tribuunt; quamuis ad eaſdem; cum prioribus, leges non aſtringantur; quia tamen Dæmones in ipſis hominibus conſtituunt, qui aliquando in hominibus non fuerunt; quà via

ingreſſi ſint, & quo in angulo iam ingreſſi latitant, etiam docere debent. Neque enim mens humana capere poſſe videtur, vt in homines Spiritus ingreſſi dicantur; & nulla ijs via fuerit, per quam ingreſſi ſint: atque item, vt in hominibus eſſe dicantur; & nullus, vbi degant, locus aſſignari valeat.

3 *Ingreſſum* primum ſcrutemur. Sunt qui exiſtimant ipſos per *os* corpora hominum ingredi: fortè hinc perſuaſi, quòd apud non ignobiles authores, haud raro legamus, ipſos, vna cum cibo aut potu, in quo latuerunt, hauſtos eſſe; & mox magna tyrannidis ſuæ in miſeris hominibus exempla dediſſe. Et de potu quidem nos plura exempla proferemus, partim Theſi vltima, Capitis 16. partim Theſi 10. cap. 32. de cibo vnum offert S. Gregorius, lib. 1. Dialog. cap. 4. quod ipſius verbis hic aſcribimus. Quadam die, vna Dei famula hortum ingreſſa eſt; quę lactucam conſpiciens, concupiuit: eamq; ſigno Crucis benedicere oblita, auidè momordit; ſed arrepta à Diabolo protinus cecidit. Cumq; vexaretur, eidem patri Equitio (Abbas hic erat prouinciæ Valeriæ) ſub celeritate nunciatum eſt, vt veniret concitus, & orãdo ſuccurreret. Moxque hortum idem Pater vt ingreſſus eſt; cœpit ex ore eius, quaſi ſatisfaciens, ipſe qui hanc arripuerat Diabolus clamore, dicẽs: Ego quid feci? Ego quid feci? Sedebam ibi ſuper lactucam: venit illa & momordit me. Cui cum graui indignatione vir Dei præcepit vt diſcederet, vt locum in omnipotentis Dei famula non haberet, qui protinus abſeſſit; nec eam vltra contingere præualuit. Hactenus Gregorius.

Nec

Nec desunt, qui hinc profectam volunt consue- 4
tudinem, quæ apud Catholicos est; vt si quando oscitent, *os* signo Crucis muniant: quasi hac crucisignatione Dæmonum in corpora ingressus prohibetur.

Hos confirmat, quòd in Exorcismis, quando 5
Dæmones ex corporibus eiiciũtur: sæpè sub muscæ aut aranei specie *os* egrediantur. Ita enim indicans, quòd idem ipsis ostium ad ingrediendum, & egrediendum patere debeat. Exempli loco hîc etiam nobis esse potestis, quem S. Remigius expulit; victus partim literis S. Benedicti, partim importunis precibus parentum, pro filiæ obsessæ incolumitate Benedictum solicitantium. De hoc siquidem Hincmarus in Vita S. Remigij: quòd cum ingenti vomitu, & graui fœtore, per idem *os*, quo ingressus fuerat, sit egressus.

Rationes hæ quamuis magnum robur non ha- 6
beant; non prorsus tamen multæ sunt. Certum est, aliquando Dæmones per os in homines intrasse. Certum quoque est, reprehendi non debere, multis annis receptam Catholicorum crucisignationem: Certum denique per os sæpè egressos esse. Quapropter non omninò malè opinari dicendi sunt, qui eosdem per os in homines ingredi existimant.

Sed tamen aliam nullam viam Spiritibus pa- 7
tere credendum non est. Sicuti per os; ita per quemcunque meatum, atque adeò per tenuissimos, & vix perceptibiles poros, humana corpora possunt intrare, & ingrediuntur non raró.

Quid quod nec poris quidem, in ingressu, indi- 8
gent? Quid quod etiã oppositis corporibus eorum

aditus non prohibeatur? Quid quod nihil poſſit eſſe tam vaſtum & firmum, quod non penetrare abſque difficultate & moleſtia valeant? Hæc Spirituum (in quorum ordine Dæmones ſunt) conditio eſt: vt obiectis corporibus, nec virtus ipſorum, nec præſentia, nec operatio retardari aut impediri queat.

CAPVT X.

In qua hominum obſeſſorum parte Dæmones latitent, & ſedes ſuas habeant.

1 QVA via Obſeſſos maligni Spiritus ingrediantur, conſtitutum eſt: *vbi*, ingreſſi, *latitent* inquirendum. Hic vbi principio quid *fieri* poſſit expoſuerimus, tum quid plerunque *accidere* putemus, aperiemus.

2 *Poteſt fieri*, vt totum hominis corpus obſideant Dæmones: ita videlicet, vt extra nullam corporis, quod obſident, ſint partem; & in quacunque corporis ſint parte: ſint in capite, in brachiis, in ventre, in tibiis, &c. Mirum hoc non eſt. Quemadmodum, anima hominis; ita ſe Dæmones habent in corpore: quamuis interim alias Dæmones, alias anima habeat operationes: arctius etiam cum corpore anima, quam Dæmones coniungantur.

3 *Fieri etiam poteſt*, vt in vno aliquo ſint hominis membro, capite, ſcilicet, brachiis, tibia, pectore. Atque hoc ab ipſa, qua corpus viuit, anima differunt. Illa, quia omnes corporis partes viuificat: omni

omnibus debet esse coniuncta: Dæmones quoniam corporibus vitam non conferunt: sed motum tantummodo: in vna aliqua corporum parte sedes suas habere possunt. Sic in brachio Eutychij cuiusdam ostiarij S. Theodori Archimandritæ, ita latuisse Dæmonem: vt in nulla alia corporis parte fuerit: dubium non est. Pòstquam enim vir Sanctus Eutychij manum apprehendit, Dæmonémque per brachij meatus discurrere obseruauit: mox Cruce humerum signat, aditúmque ad reliquum corpus prohibet: eodémque deinde ex brachio præscripto, plena perfectáque incolumitas Eutichio restituta est. Ita Georgius Presbyter, Theodori discipulus in Magistri Vita. Et de Gloria Confessorum, cap. 9. scribit B. Gregorius Turonensis, quendam sedem suam habuisse in vngula cuiusdam Energumeni.

Sed nec membris indigent, in quibus resideãt. 4
Possunt sub quacunque etiam minima atque adeo vix perceptibili, *hominis parte* latere; & quidem illi Spiritus, qui maxima aliquando vastissimáque corpora possederunt. Nec hoc nouum. Nónne eadem hominis anima est, quæ nunc minimo corpore, cùm primum vitam homo accipit, latet: nũc vegetat vastum, & per omnes maximi corporis partes, vt ita dicam, diffusa est?

Hæc *fieri* possunt omnia. Quid porrò *fit? In quâ* 5
hominis obsessi parte Dæmones latitant? Difficile id est ásserere. Si ex aliquo, profectò ex operationibus, quas in hominibus exercent, posset deprehendi: Veruntamen hinc certum argumentum sumi nequit. Quare? Quia necesse non est, vt vbi operantur, ibi sint αὐτοπροσώπως ipsi Spiritus.

Possunt hoc loco existere, & alio operari. Alia est Sphæra actiuitatis Dæmonum, alia præsentiæ.

6 Igitur si tuber in aliqua hominis parte excitant: si Obsessorum linguam protrudant: si molestia hoc vel illud membrum afficiant: non mox ibi Spiritus esse necesse est dicere. Omnia hæc Dæmonum *virtute* fieri possunt: quæ ad plura, quàm ipsorum se præsentia extendit.

7 Similiter dum aranei, aut muscæ in obsessorum ore conspiciuntur, non ita iisdem Dæmones includimus; vt extra illa non sint. Possunt hæc animalcula producere, & in iis latere: possunt quoque extra ipsa subsistere, & nihilominus, quo libet, impellere.

8 Porrò quamuis hîc certo constitui nihil possit: non sine ratione tamen illos loqui dixerim: qui in *corde*, vel haud procul à corde, eos sedes suas *plerumque* habere arbitrantur.

9 Ratio huius ex duobus pendet: Ex Dæmonum fine, & cordis humani conditione. Finis Dæmonum est homines mouere atque exagitare: (Nam quæcunque in corpora possunt, illa propemodũ motu locali efficiunt.) Conditio cordis humani est, vt sit principium actionum omnium. Ergo, cùm sedes suas eò loci Dæmones constituere, credi possit, vbi facili negotio, corpus humanum, quocunque libuerit, valeant impellere: in *corde*, à quo omnis motus, aut certè, *haud procul à corde*, ipsos domicilium suum habere, dici non congruè videtur.

10 Nónne quod in naui est Nauclerus, id in obsessis corporibns sunt Dæmones? At verò Nauclerus in ea se nauis parte constituit, vbi nauis commo

commodissimè impelli potest. In illa igitur hominis parte Dæmones erunt, in qua constituti, hominis corpus, quo lubebit, poterunt faciliùs impellere.

Præterea non hoc propositum tantùm Dæmonibus est, vt pro libidine hominum corpora cieãt: etiam in proprijs, sibique naturalibus operationibus eosdem impedire conantur, atque adeò impediunt. Vbi igitur iustiùs sedes suas habebunt, quàm vbi operationes impedire commodissimè possunt? At possunt commodissimè, si *cor*, quod operationum omnium principium est, possideant. 11

Norunt omnes & hoc Dæmonum esse studiũ: vt Deo, quantum fieri potest, sint similes. Petent igitur, quòd Deus maximè desiderat. quid illud? *Cor* hominis. *Fili*, inquit alicubi, *præbe mihi cor tuum.* Hoc sensisse videtur S. Laurentius Dublinensis Archiepiscopus: in cuius Vita, capit. 28. apud Surium, Tom. 6. legitur, quòd curaturus quãdam Dæmoniacam, primùm pectori eius crucem impresserit: deinde aquam benedictam bibendam dederit: quasi illo loco putauerit medicinam prodesse, vbi malum, quod pulsum cupiebat, suam sedem habere crederet. Sensisse quoque idem iudicandus est Theodorus Archimandrita, cuius iam Thesi 3. meminimus. Curaturus enim quendam Energumenum, de quo, vtrum Obsessus esset, non certò constabat, *cor* ipsius cæpit pulsare primùm, & Dæmoni, vt se proderet, imperare. 12

Dicuntur hæc, vt videtur, cum ratione. Et forsitan ita se plerunque res habet. Interim tamen, *præter cor, Dæmones alias habere latebras* id argumento 13

est,

eſt,quod,in libris Ritualibus, iiſdem præcipiatur, in virtute ſanctiſſimæ Trinitatis, ne ſe occultent in quatuor humoribus, in carne, oſſibus, neruis, medullis,venis,ſuris,tibiis,renibus,ventre,ſtomacho,inteſtinis,gutture,collo,&c. Vide Exorciſmũ 2. Sacerdotalis Romani.

14 Putauerim quoque frequenter fieri, vt qui in vno aliquo homine ſunt, ſtationes ſuas quandoque mutent: & nunc ſint in hac corporis parte, nunc in alia: nunc etiam plures ſimul hominis partes poſſideant: nunc pauciores.

15 Vbicunque verò Spiritus latitant: non ita loco quemadmodum corpora concluduntur, aut circumſcribuntur: neque locorum, quæ occupant partibus, partes Dæmonum reſpondent. Dæmones partes nullas habent. In quacunque corporis parte toti ſunt. In toto, quod poſſident, corpore, toti ſunt; non ſecus atque in homine, hominis anima.

CAPVT XI.

Dæmones aliquando ſignis quibuſdam iiſdem quadruplicibus declarare ſuos in humana corpora ingreſſus, & hoc iuſtas ob cauſas.

1 ALia ſigna ſunt, quibus demonſtrant, quòd in hominibus latitant, ipſóque inhabitant. de poſterioribus Capite 22. & ſequentibus agetur: priora hoc loco inueſtigamus.

Duo autem hic quæruntur, Alterum eſt: *Semperné Spiritus aliquibus ſignis declarent, quod homines ingre*

ingrediantur. Alterum, *quænam potissimum illa sint signa.* 2

Quod ad prius attinet, dubium non est *plerumque suum in homines ingressum prodere.* Potest hoc exemplis multorum, qui aliquando obsessi fuerunt, demonstrari. Quidam eorum, prius quam obsiderentur, se Spiritus, sub specie canis, aut nigri Æthiopis conspexisse asserunt: quidam quodam strepitu atque tumultu fuêre perculsi: quidam, nescio quas, in somno habuerunt graues, & molestas imaginationes.

Hæc & facta esse, & quotidie adhuc fieri clarum est: Veruntamen quas ob causas non ita. 3
Quemadmodum plurima alia sunt, quorum vix rationes assignantur: ita, cur non nisi post aliqua signa quidam Dæmones humana corpora ingrêdiuntur, ratio certa vix dari potest.

Fortè vna est, quod hac re Deum imitari possint videri Spiritus: vt quemadmodum ille ad- 4
uentum suum in, vel ad, homines externis quibusdam, magnisque argumentis testatur & indicat: ita quoque Spiritus suum velint innotescere: ne hac in re Deo videantur inferiores. Et de Deo quidem res est clara iis, qui in Sacris literis sunt versati. Nam & quando primos generis humani parentes accessit, ipsos reprehensurus, ob diuini præcepti præuaricationem, *vox ipsius deambulantis in paradyso ad auram, post meridiem*, audita est; Genes. 3. & daturus legem, cum Moysen esset côuenturus, *mons*, ad quem descendebat, *fumabat, & sonitus buccinæ audiebatur*: cæperunt quoque *audiri tonitrua, atque micare fulgura*, Exod. 20. Et descensum suum in Apostolos, ipso Pentecostes die, testatus

testatus est *sono repentè de cælo facto tanquam, aduenientis Spiritus vehementis*, Actuum, 1. Quòd verò Deum æmulari cupiant Spiritus: non minus certum est: cum ob hanc causam etiam Dei Simiæ nuncupentur: & ibi sua velint habere sacella, vbi Deus sua habet templa: vt est in prouerbio.

5 Fortè etiam hac ratione bonos Angelos volũt imitari. Nam & illi, vt plurimum: externis signis præsentiam suam prodiderunt. Potest hoc multis, & claris sacræ scripturæ locis doceri. Nos vno contenti sumus Angelo, Dominicæ Resurrectionis teste: de quo Euangelista Matthæus, cap. 28. quòd *magno terræmotu edito* suam præsentiam sit testatus. *Ecce*, inquit, *factus est terræmotus magnus: Angelus ENIM Domini descendit de cælo.*

6 Fortè diuinæ prouidentiæ ratio idem postulat. Neque enim raró ij à Dæmonibus possidẽtur, qui in grauibus versantur peccatis, & quasi ostium, vt se ingrediantur, ipsis aperiunt: ad quorum maiorem pœnam (iustissimam tamen) permittit Deus, vt carnifices suos, priùs conspiciant, quam tyrannidem sentiant, & experiantur.

7 His addiderim, quòd turbatum hominem Spiritus nequam requirere videantur: quem ingrediuntur. Contraria ipsorum, & bonorum angelorum sensa Cupiunt illi quieto esse animo omnes, ad quos diuertunt: hi turbis gaudent & tumultu. Hinc esse dixerim, vt sub *horrenda* se prius forma spectandos præbeant: nunc insolitos quosdam strepitus excitent: aliquando etiam colaphos infligant, vel ad terram deiiciant prius, quàm miseros homines inuadant. Hæc cum suo malo expertus est adolescens, cuius in vita B. Arnolphi Suessionensis

ſionenſis Eccleſiæ mentio. Poſtquam enim ab eodem Epiſcopus Dæmonum legionem eieciſſet: reſtitutum iam priſtinæ ſanitati interrogat, quamnam ob cauſam Dæmonum tam grauem carnificinam incurriſſet, & qua ratione ipſum eſſent ingreſſi. Ad quæ adoleſcens: Vindicta, quam in alio probaui, præcipua mali, quod paſſus ſum, fuit cauſa. Porrò fugientem me Dæmones primum inſecuti: poſt aſſecuti, circumſteterunt: & vbi vehementer terruiſſent, ingreſſi fuerunt infelicem. Hæc Liſiardus Epiſcopus Suueſſionenſis, in Vita S. Arnolphi.

Hæ ſignorum, quibus aduentum ſuum Dæmones produnt, rationes. Sed tamen *his atque ſimilibus opus non habent*. Nihil omnino eſſe videtur, quod ipſos ad hæc adigat & aſtringat. Quemadmodum neceſſe non eſt, vt ſub ſpectabili forma in hominibus ſint: ita neceſſe non eſt, vt ſi homines ingredi velint, id externis argumentis ſignificent. 8

Addo, quòd perſæpe ingrediuntur, quando id ij, qui obſidentur, nullo ſigno deprehendere poſſunt. Seruit pro hoc quod B. Grego. lib. 1. Dialog. cap. 4. refert, exemplum virginis illius, quam ſub lactuca latens Diabolus ingreſſus eſt: quem illa ſub lactuca eſſe, aut quod ſe ingredi tentaret, nullo argumento potuit obſeruare. 9

Addimus huic ſecundum, puellæ: de qua quòd Dæmonem haberet, nulla fuit ſuſpitio: habuiſſe verò tum proditum eſt, quando eidem manus impoſuit S. Germanus, Pariſienſis Epiſcopus, de hac Fortunatus Pictauorum Epiſcopus, in Vita, S. Germani, cap. 27.

Addimus tertium Petri, cuiuſdã Cauponis filij:
qui

qui quamuis grauiſſimos cordis dolores pateretur, ignorabat tamen eoſdem eſſe ab inhabitante Dæmone, donec hoc edoctus eſſet à Theodoro Archimandrita, teſte Georgio Presbytero, in Theodori Vita:

Hic & quartum ſuppeditat puellæ annorum viginti octo: quæ incurabilem, quo laborabat, morbum tum didicit, primùm Dæmonis inhabitantis malitia allatum: poſtquam impoſtor Spiritus ſe prodidit ad impoſitionem manuum eiuſdem Theodori.

10 Porrò, (vt ſecundæ quæſtioni reſpondeatur) quoniam neceſſarium non eſt, vt ſignis ſuum aduentum Dæmones teſtentur: & ſi quando illa adhibent, id præcipuè (vt eſt veriſimile) ex ipſorum pendet voluntate; hinc eſt, quòd *ipſorum aduentus certa atque determinata ſigna non aſſignentur.*

11 *Quadruplicium* ſacerdotale Romanum (vt vocatus liber Ritualis) meminit, Cap. 1. de Exorciſmis. Docet interdum Dæmones ſe ſub forma externa, quæ terrorem incutiat, exhibere, priuſquam homines inuadant: interdum vento & tumultu præſentiam ſuam teſtari: tertiò prius affligere, vel aliqua moleſtia afficere: quartò, aliquando ſomniantibus mirabiles rerum ſpecies ingerere.

12 *Forma*, qua terrent, duplex eſt: quædam humana: quædam brutorum animantium. Humana haud raro defuncti alicuius eſt, aut qui violentam mortem difficilémque ſuſtinuit. Si brutorum eſt animantium; vel eſt nigri canis, vel hirci, vel alicuius beſtiæ ad terrorem incutiendum compoſitæ.

13 *Ventus & tumultus*, qui in hac re Dæmonibus ſeruiunt, mox obſeruantur peregrini eſſe, & ex

non

non prorſus naturalibus cauſis orti. Hinc & vix alijs locis, quàm vbi is, quem Dæmon ingredi parat, producti, Cum tumultu & vento ſtrepitus coniunxerim; qui, dum audiuntur, ex veſtib. quæ vel colliduntur, vel per terram trahũtur, excitari vidẽtur.

Moleſtia, quæ obſidendis affertur, fit per colaphos, per attractiones, per propulſationes, per caſus, & his ſimilia. Hæc à dæmonibus, quamuis ſub ſpectabili ſpecie non appareant, procurari facili negotio poſſunt omnia. 14

Species rerum, quæ ſomniantibus obuerſantur, variæ ſunt. Ferè tamẽ fit vt quos Spiritus ingreſſuri ſunt, ſomnient ſe à Dæmonibus vexari, agitari, moleſtia affici, aut etiam occidi, ſiue iugulari: qui deinde à ſomno excitati, ſomnij veritatem magno ſuo detrimento, & calamitate experiuntur. Hæc ferè Sacerdotale Romanum. 15

CAPVT XII.

Quorum ordinum ſint Dæmones, qui homines poſſident & vnde id cognoſci valeat.

NOn vocamus iu controuerſiam, Sintne inter ipſos Dæmones, *Ordines* quidam, & claſſes: ponimus eſſe. Quærimus, *Ex quibus Ordinibus ſint*, qui homines obſident: & *Vnde hoc poſſit deprehendi*. 1

Primum enim illud ex bonorum Angelorum conditione colligimus. Inter ipſos, *certos Ordines eſſe*, natura docet, Patres conſtanter affirmant, & Sacræ literæ haud obſcuris argumentis inſinuant. Cùm igitur ex bonorum Angelorum numero 2

& classibus Spiritus nequam deciderint; etiam inter ipsos aliquis erit ordo: & proculdubio is ipsius, qui antequam ad suas miserias prolapsi sunt, fuit.

3 Maius pro hac re argumentum, ex Domini verbis colligitur, & primum quidem Lucæ 1. vbi ipsos testatur habere Regnum. *Si Satanas*, inquit; *in seipsum diuisus est, quomodo stabit Regnum eius?* Regnũ enim non confusam quandam, inordinatamque multitudinem significat; sed principatim excellentissimum, in quadam coordinatione, præsidentium atque subiectorum, in vnum finem tendentium, consistentem. Deinde Matthæi, 25. vbi damnatos in extremo iudicio docet relegandos in ignem æternum, *qui paratus sit Diabolo, & Angelis eius: Diabolo* scilicet, tanquam Principi, & capiti, *Angelis*, tanquam eius ministris.

BOSTON PUBLIC LIBRARY NOV

4 Idem Iob atque Euangelista Ioannes insinuant. Iob. 41. quando Leuiathan (nomen hoc Dæmonem significat) docet esse *Principem super omnes filios superbiæ*, ipsos etiam, qui superbissimi sunt, Dæmones. Ioannes, quando Apocalip. 12. asserit *Draconem cum suis Angelis*, ducem, scilicet; cũ subiecto grege, *pugnasse contra Michaelem eiusque Angelos*. Quòd idem iudicium fuerit Iudæorum vel ipsorum calumnia probat, qua Christum in *Principe Dæmonum Beelzebub* asserebant eijcere Dæmonia: Neq; enim rectè *Princeps* dicitur, qui in nullos habet principatum: nullos habet sibi subiectos.

5 Tribus verò de causis conuenit, vt hic inter Nequam Spiritus sit Ordo. Prima sumitur ex ipsorum natura, quam non omnes habent æqualem, sed alij alijs perfectiorem. At conueniat, vt qui natura dignita

nitate præstant, ijs quorum inferior est conditio, dominentur; & eos quasi in suos fines, ob quos creati sunt, deducant. Altera ex diuina sapientia petitur, quæ omnia voluit esse ordinatissima, *Quæ à Deo sunt*, inquit Apostolus, Rom. 13. *ordinata sunt.* At à Deo est potestas Dæmoniaca: etiam qua in homines sæuiunt Spiritus; ordinata igitur & illa erit. Sed & ipsorum malitia atque nequitia (quæ tertia fit causa) postulat, vt Ordo inter ipsos sit & seruetur. Omnino enim, quia hoc omnium vnum studium est, hominibus nocere: vt id consequantur, ordinem volent obseruare: cùm hominibus nocere ita commodè non possint, si inter se mutuis atq; intestinis bellis dissentiant. Nec his aduersatur, quod in *terra miseriæ & tenebrarum nullus dicatur esse ordo.* Iob. 1. *sempiternus sit horror.* Ordo inter ipsos est nullus, qui ad æternam beatitudinem perducat: est nihil ominus ordo *potestatis*, qui & naturę inæqualitatem consequitur, & quem ad bonos exercendos, & malos torquendos Deus Opt. Max. vult ijs seruire.

At (quod alterum est Caput) An qui homines infestant & obsident; ex omnibus sint ordinibus, difficultatem aliquam habet: propterea quòd nō quas functiones si in gratia perstitissent, Nequam Spiritus habuissent; easdem habeant, postquam à gratia exciderunt, & infernalibus pœnis deputati sunt. 6

Neque enim beati Spiritus se omnibus negotijs immiscent, Sunt quidam, quorum omnis quasi occupatio cum Deo Opt. Max. est: vt illi, qui supremi sunt ordinis. Sunt alij, qui quasi administrant res humanas, &, vt Dei mandatis fiat satis procurāt 7

vt qui sunt medij. Tertio sunt, qui mandata hæc exequuntur, & singula perficiunt: vt qui sunt ordinis tertij.

8 Si has leges maligni Spiritus seruarent, facilis esset, & expedita ad propositam quæstionem responsio. Quemadmodum enim ijs, qui sunt infimi ordinis Spiritibus bonis, singularium rerum administratio, & cura commissa est; ita posset dici Spiritus, qui hominibus molesti sunt ex infimo Ordine esse: esse, inquam, ex numero Angelorum, aut certè Archangelorum.

9 Verùm, qui à gratia, propria malitia exciderunt Dæmones nec omnino iam, quas natura postulat leges obseruant: nec tam attendunt quid facere ipsos, pro naturæ dignitate conueniat, quàm vt suæ libidini faciant satis: quò fit, vt hinc certò cognosci nequeat, ex quibusnam Ordinibus sint, qui homines obsident.

10 Interim ex dictis duo videmur nobis non perperam colligere. Alterum est, dubium non esse, quin, *qui ex infimo sint Ordine homines ingrediantur, & molestent.* Neque enim indignum est, vt ad priuata & particularia negotia descendant: naturæ eorum conditio hoc postulat. Neque alienum ab ipsorum voluntate, vt graues sint & torqueant. Ad hoc ipsos vrget propemodum summa & inueterata nocendi libido.

11 Alterum est, *etiam eos, qui altiorum sunt Ordinum hic operas suas locare. & molestos hominibus in obsessis corporibus esse.* Quamuis enim natura ipsorum grauiora & altiora studia postulet: studium tamen nocendi tantum est, vt etiam ad minima officia se lub entes demittant.

Fortè pro hac sententia, Christi oratio est. Nam

cum Dæmonium quoddam eiecisset, quod Apostoli eiicere nequiebant, mox docuit quosdam esse Spiritus, qui maiorum sunt virium, & apud quos communis exorcizandi ratio non sufficit: ad quos exigendos maiores machinas: *orationem & ieiunium*, adhibere oporteat.

Fortè eandem sententiam probat Christi silen- 12
tium. Obijciebant ipsi alicubi Scribæ legis, quòd in Dæmoniorum Principe, Beelzebub eijceret Dæmones. Quid ad hoc Dominus? Non negauit Principem Dæmoniorum Beelzebub homines obsidere posse: id suo silentio probat: Negauit se Principem Dæmoniorum habere, & in eius nomine Dæmonia eijcere.

Fortè potestas Apostolis super *omnia* Dæmo- 13
nia collata, Lucæ 10. idem confirmat. Cur super *omnia* Dæmonia Apostolis potestas confertur: si non *omnia* mortales interdum ingrediuntur?

Maius robur ad hanc sententiã constituendam af- 14
fert Apostolus Paulus, dum sic loquitur: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus Principes & Potestates, aduersus mundi Rectores tenebrarũ harum, contra spiritualia nequitiæ in cælest ib.* Nunquid si non singulis verbis superiorũ Ordinum Spiritus notauit, notauit dictionib. *Principum* & *Potestatum?* quos contra, dum colluctationem nobis asserit, insinuat profectò ipsos etiam corpora ingredi, & magnas molestias afferre Obsessis.

Atque hoc agnouisse videtur S. Antonius. Cùm 15
enim ad ipsum aliquando adductus fuisset Energumenus, intellexit *Principalem* (vt loquitur Palladius) esse *Spiritum*, qui miserum obsideret. quo-

circa nec per ſe,ſed per S. Paulum Simplicem, cuius poteſtas,quam ſua,maior eſſet,poſſe eijci. Vide Palladium Sect. 15 Hiſtor. Patrum.

17 Ex *omnibus* igitur *Ordinibus* Dæmones humana corpora ingredientur. Nullus in Ordine erit, qui mortales ingredi, ſi ita Deus permittat, recuſet. Verùm, *cuiuſnam Ordinis ſint*, qui in hominib. lateant, non ita facilè dictu eſt.

18 Nam ſi qua regula vtimur, vt cognoſcamus, ſint ne homines obſeſſi, eadem hac in re voluerimus vti; procul à veritate aberrauerimus. Quid ita? quia illud ex *operationibus*, quæ homini minimè conueniunt, deprehendimus, *at operationes* non ita Ordines Dæmonum diſcriminant: Vix in obſeſſis operationes notabis, quas non minimus quiſque Dæmonum, ſi modò velit, & ſuperioris poteſtate non prohibeatur, perficere valeat.

19 Haud tamen falli multum dixerim, qui ſuperiorum Ordinum Spiritus ex *duobus* deprehendi poſſe exiſtimant: Ex magnitudine *grauitateque* malorum, quæ Obſeſſis afferunt, & præterea ex *difficultate*, quam in ipſis, ex hominum corporibus, exigendis experiuntur Exorciſtæ. Maiora illi damna inferre videntur: difficilius ex humanis corporibus eijci.

20 Et alios quidem alijs grauiora mala afferre, paſſim docet præſens Diſputatio, eorum exemplis, qui Obſeſſi leguntur: difficilius verò quoſdam expelli, ſequentia confirmant. Adducitur ad S. Benedictum puella, Dæmonium habens, adhibet ipſe, quas poteſt machinas, vt eijciat, ſed fruſtra omnia, hoc ſolũ conſequitur: intelligit Spiritũ non per ſe, ſed per S. Remigium eijci poſſe, ita Hincmarus in Vi

in Vita Remigij. Sic aliquando eodem tempore, tres adducti sunt ad Theodorum Archimandritam quorum duobus ille statim subuenit, tertio non, nisi post aliquot dies, teste Georgio presbytero in eius Vita. Idem Theodorus puer adhuc, eodem teste, quem non potuit, primo die, flagellis eiicere Spiritum, eiecit die tertio.

Quantum laboris in Dæmoniaca quadam curanda suscepit S. Bernardus Mediolani, cum sacrificium Missæ celebraret? Et pijs orationibus adiutus populi, & loci sanctitate, insolentiorem semper expertus est Satanam. Rem totam latius prosequemur, 46. Capit. Eodem modo difficilem admodum se exhibuit, quem ex Artemia, Diocletiani Imper. filia eiecit S. Cyriacus. Siquidem post tertiò adhibitum Exorcismum, primùm discessum parauit. Hoc apud Surium Tom. 4. Et quem eiecit Patroclus, eremi cultor, triduanam orationem, eamqúe ardentem requirebat, teste Gregorio Turonensi, cap. 9. in Vita Patrum. Sed maius his robur habet, quod sacræ literæ docent, fuisse Dæmoniacum, in quo eijciendo Apostolorum vires succubuerunt, quodqúe *oratione tantùm, & ieiunio* fugari docuit Dominus. Verùm de hoc argumento, Parte 4. Hoc nunc conclusum sit, duo ferè esse, quę superiorum Ordinum Spiritus prodant.

Certius vtroque argumentum, est ipsorum vi, per Exorcistas, extorta confessio. Quamuis enim vltrò multa asserentibus credi non debeat, quod plerumque mentiantur, & hominibus imponant, quemadmodum tamen vi Exorcismorum coguntur, vt alia fateãtur; ita cogi credẽdũ est, vt Ordines suos, atq; classes prodãt. Ita se inferioris Ordinis 21

esse prodidit: quem Triphon ex filia Gordiani Imperatoris eiecit. Coactus enim à viro sancto dicere, cuius imperio miseram esset ingressus, se à Patre suo Dæmone missum esse respondit. Metaphrastes in Vita Triphonis.

Capvt XIII.

Plures quandoque in vno homine Dæmones esse, atque vnde id cognosci queat.

1 VNum aliquem hominem ab vno Dæmone possideri, pluribus exemplis, tam sacris, quàm profanis doceri potest: & manifestum est: quamuis, teste Tostato in 8. Matthæi, q. 136. quidam id negent. An verò *in vno eodemque plures esse possint an semper sint plures*: atque *Vnde id deprehendi possit*, hoc Capite inquirendum est.

2 *Et plures quandoque in vno homine esse* sacrarum Scripturarum prodit grauissima authoritas. Cùm quodam tempore Dominus in Dæmonio eiiciendo occuparetur, & quod ipsi nomen esset interrogaret, mox responsũ hoc tulit, *Legionem* dici, quia
Lucæ 8. vt Euangelista adiungit, *multa Dæmonia intrauerant in hominẽ*. Idem alio loco his verbis insinuatur.
Lucæ. 11. *Cùm immundus*. inquit Dominus, *Spiritus exit ab homine, perambulat per loca inaquosa, quærens requiem: & non inueniens, dicit, Reuertar in domum meam, vnde exiui: Et cùm venerit, inuenit scopis mundatam & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios Spiritus, nequiores se, & ingressi habitat ibi* Sic Marci 16. & Lucæ 8. dicitur quod Dom. ex Magdal. sep. expulerit Dæmonia: Sed & nihil est, quod prohibeat

beat cur minus plures in eodem homine Spiritus esse queant. Nō ea Spirituū, quæ corporū, conditio est, vt vnus alteri cedat. Vbi vnus Spiritus; ibi mille esse possunt, quinimò *6666.* quemadmodum exemplo eius, cuius supra meminimus, perspicuum est.

Sicuti autem nihil prohibet, cur minus plures 3
eundem hominem obsideant: ita nihil propemodum est, quod omnino persuadeat plures semper esse, qui vnum obsideant: Quod per plures fit, id per sæpe vnius opera potest confici. Vnus aliquis ex ipsorum grege, tot & tantas molestias homini potest afferre, vt pluribus & maioribus ferendis nequaquam miser par esse valeat.

Fit nihilominus *plerumque vt in eodem homine* 4
sint plures. Docent hoc exempla eorum, qui nostris temporibus Obsessi inueniuntur. Vix vnum aliquem deprehēdas, qui non plurium Spirituum tyrannidem patiatur.

Addo, quòd hac societate Dęmones gaudeāt: 5
quódque illam desiderēt. Esto, inter se dissideant; in vna tamen hominum salute oppugnanda mirum est, quàm sit consentiens studium & cōcors voluntas: vt prorsus credi possit expetere ipsos, qui secum in hominibus cruciandis, conspirent.

Est pro hac assertione Christi oratio. Docet il- 6
le, quòd si quando Dæmon *exierit ab homine*, sit *Lucæ 11.*
solitus *perambulare per loca arida, & requiem quærere:* & si minimè inueniat, *reuerti in pristinam domum:* ita tamen, *vt septem secum se nequiores Spiritus assumat.* An assumere socios Dæmon putandus est, qui in homine vexando socios non desiderat? non potest ferre?

7 Sed nec paterentur in eodem homine se Dæmones; nisi voluntate eorum fieret, vt essent plures. Cùm enim earundem virium non sint: sed quò Ordinibus & classibus sunt superiores, eò etiam viribus potiores: omnino, qui Ordinum essent superiorum, viribúsque præstarent, mox eos qui minus viribus valerent, sedibus suis pellerét: quod quia non faciunt, se in socios torturæ consentire significant.

8 Hinc sequitur non esse contrariorum studiorum Spiritus, qui in eodē sunt homine: sed idem velle, idem conari, idem moliri. Qui consortes imperij in hominem admittunt; illi, nisi regnum suum dissolui velint, omnino, vt conspirent, necesse est.

9 Cæterùm, *quandonam sint in vno homine plures, & quotnam sint, haud ita facilè deprehenditur.* Certiorem hic regulam dare nō possumus, quàm precedenti Capite assignata est. Quemadmodum vi Exorcismorum coguntur, vt prodant, quorum sint Ordinum: ita cogi possunt, vt fateantur vtrum sint plures, atque quot sint.

10 Non tamen mox eorum orationi fides adhibenda est. Nam cùm difficulter sedes suas deserant: quas possunt, effingunt amphibologias, vt Exorcistis imponant, & socios non prodant.

11 Quocirca si omnino eorum numerus constare debet, non solum compellendi sunt, vt dicant, quot sint: sed etiam interrogandi, num plures sint. Possunt siquidem verè affirmare decem esse, qui in homine sunt: quamuis viginti & plures sint, qui hominem obsideant.

CAPVT XIV.

An plures Spiritus plus torqueant, & singuli eadem vel diuersa tormenta afferant.

QVid pluralitas Dæmonum in Obsessis faciat: atque Vtrum communia omnes habeāt officia: eorundem sint studiorum, inquiſimus. Ibi explicandum eſt. Maiúſne malum plures afferant, quàm pauciores: hìc, An ſicuti diuerſi ſunt, qui in hominibus degunt, Dæmones, ita diuerſa ſubeant & ſuſtineant munia. 1

Multitudine obſidentium Dæmonum augeri malum obſeſſorum hominum dubium nullum eſt. Si enim ab vno obſideri malum eſt: quomodo non maius malum obſideri à pluribus? 2

Nec malum hoc moleſtia caret. Eſt coniunctum cū maiori cruciatu eius, qui obſidetur. Nec mirum. Cùm enim obſidendo moleſti ſint Dæmones, & vexent: aut plures vnum aliquem hominem obſidere dicēdi non ſunt: aut confitendū, quod obſidendo affligunt & cruciant. 3

Seruit huic argumēto pulchrè exemplum, cuius Euangeliſta Marcus meminit: vbi, quia plurimi vnum hominem obſidebant, plurima quoque tormenta & moleſtias afferebant. Habebat miſer *domicilium in monumentis: non poterat eum quiſquam catenis conſtringere: die & nocte in montibus vagabatur, lapidibus ſe concidebat, &c.* 4

Seruit præterea, ſi afferre licet, hìc praua prauorum hominum conſuetudo: qui, cùm aliis plura & grauiora mala deſiderant, non vnum, ſed plures iis Dæmones imprecārur, quia ſcilicet credunt 5

dunt plura detrimenta plures, quàm vnum aliquem procurare.

6 Et Dæmones, cur homines ingrediuntur, si nocere nolunt & esse molesti? Neque enim ex eo leuamen aliquod habent suorum tormentorum, quòd in hominibus resideãt: Neque voluptatem aliquam ipsis hic locus, atque hoc domicilium affert. Si quam voluptatem capiunt: ex eo, quòd mortalibus incommodent, hauriunt.

7 *Tribus* verò modis intelligi potest, quòd *omnes* sint molesti, Vel, vt omnes & singuli, quæ miser homo mala patitur, afferant: vel, vt singuli propria habeant, quæ tamẽ in eadem hominis parte efficiant: vel denique, vt singulis certa quædam distinctáque in homine deputentur loca, in quæ tyrannidem exerceant, & libidinem expleant.

8 *Primum fieri posse* haud negauerim. Veruntamen Spiritus tum vices suas aliquando mutare, & non omnes vno eodémque tempore ad hominem vexandum incumbere, admodum est verisimile. Quid enim omnium opera necesse? Potest hic vnus sufficere, cessabũt igitur cæteri: &, quando ad ipsos ordo torquendi redierit, sua rursus subibunt munia.

9 Verisimile quoque est, *aliquando singulis certa, quæ afferant mala proposita esse.* Varia enim sunt quæ à Dæmonibus mortales patiuntur: nunc hęc patiuntur, nunc illa. Quapropter ita officia sua distribuisse ipsos credi potest, vt vni hæc, alteri alia procurandi prouincia commendata sit.

10 Multo verò probabiliùs illud dicitur, quod tertio loco afferebatur: *Vt singulis certa dicantur esse loca,* in quæ vires suas & tyrannidem exerceant.

Nónne

Nónne in optimè cõstituta Repub. fieri obseruamus; vt, si quando per plures aliqua effici debeant, quo commodiùs faciliúsque illa expediantur, suæ singulis quasi prouinciæ designentur? quidni igitur etiã has leges seruabunt Dęmones.

Cæterùm quæ diximus, apud eos maximè, qui 11
vnius Ord'nis sunt, locum habent: Si inter plures vnius classis, aliquis sit, qui superioris sit Ordinis (quemadmodum semper esse admodum probabile est) hunc ad has leges non astrinxerimus. Ille, vt Superior in domo, non per se quidquam administrabit: sed omnibus intendet, atque, vt singuli suis officiis bene fungantur, aduigilabit.

CAPVT XV.

De finibus, ob quos ipsi Dæmones ingrediuntur, & obsident homines.

CAusæ obsessionis hominũ, vel ex parte Dei 1
peti possunt; vel ex parte *hominum* qui obsidẽtur, vel ex parte *Dæmonum*, qui obsident. Nam & Deus est qui iustas ob causas Spiritibus potestatem facit, vt mortales ingrediantur: & homines, si non semper, sæpe miseriarum suarum sunt authores: & Dæmonibus in hac carnificina aliquid propositum esse licet colligere, tum ex eo, quòd libenter homines ingrediuntur, tum quoque inde, quòd has suas sedes difficulter deserant.

Hoc capite, non quid *Deo* propositum est, in- 2
quirimus: neque etiam quæ ex parte *hominũ* causæ dari possint, sed *quidnam Dæmones potißimum moueat*, vt hîc operas suas cõmodent. Priora illa aliis

aliis locis excutientur, hoc ad præsentem Disputationem pertinet.

3 Sunt, qui arbitrantur Dæmones hac hominum miseria idcirco delectari; quòd propriarum miseriarum, & cruciatuum sit leuamen: quasi, cùm in hominibus sunt, illósque affligũt, ab infernalibus pœnis respirent: easdem verò in inferno sustineant, extra homines constituti.

4 Hi in duobus errant. Primò quòd non alium locum Spiritibus, vbi pœnas luant, attribuant, quàm infernum. Sit ita quòd infernus meritis eorum debeatur: Si quoque certum plurimos in inferno degere: sed tamen non omnes inferorum carceribus concludũtur. Multi sunt, qui nec concluduntur inferno; nec in humanis degunt corporib⁹: qui in aëre versantur, & ad homines exercendos, magna Dei prouidentia, relicti sunt.

5 Secundò in eo errant; quòd hanc vexationem, & hominum cruciatus, censeant pœnarum Dæmonum esse leuamen. Quocunque loco sint Dæmones; suum secum infernũ circumferunt: Quoscunque aliis afferant cruciatus; suis non liberantur: Quantumcũque aliis noceant; nullum hinc ad miseros lucrum.

6 Cruciantur, dum in inferno sunt: Cruciantur, dum in hominibus sunt: in quacunque etiam, vel hominum parte latitent. Adde quod in hominibus constituti, à grauissimis cruciatibus *ignis infernalis* non sint absoluti. Vt suum secum semper infernum; ita semper secum infernalis ignis circumferunt grauissimos cruciatus.

7 Interim licet pœnarum & tormentorum, quæ pro meritis patiuntur, leuamen nullum habeant Dæmones, dum in obsessis sunt corporibus; volupta

luptatem tamen quandam hauriunt: inde, quod hominibus incommodant, ipsis obsint, ipsos vexent. *Et hanc præcipuam causam dixerim*, cur mortales ingrediuntur, & semel obsessos cum tanta difficultate deserant.

Voluptas verò hæc & nocendi voluntas, ex *odio*, quo erga humanum genus flagrant, principium sumit. Neque enim hoc leue est. Docet id Apostoli oratio asserentis, in modum *rugientium Leonum, truces circuire, & quærere, quos deuorent*, id est, quibus extremam calamitatem afferant. 8

Quemadmodum igitur fieri videmus, vt qui odia fouent; si iis, quos odio persequuntur, incommodent; voluptatem quandam capiant, & quasi miseriarum aliquod leuamen sentiant: ita voluptatem Nequam Spiritus percipiunt; dum nobis, capitalibus suis hostibus, nocent, & molesti sunt. 9

Odium hoc erga genus humanum ex *triplici* causa proficiscitur. Prima est *auersa* ipsorū à Deo, summo bono, *voluntas*. Cùm enim Deum ferre nequeant Nequam, nil mirum, si eos odio prosequantur; qui cum Deo se cōiungunt; quos Deus diligit, & qui vicissim Deum diligunt. 10

Altera est, *humanæ felicitatis inuidentia*. Inuident, miseri, hominum generi, quòd angelica relicta humanam naturam in vnitatem hypostasis diuinæ assumpserit Dei filius; atque illam ipsam naturam ad cœlum euehere, & super omnes Angelorum choros voluerit collocare. 11

Inuidētia etiam *salutis singulorū* huius odij magna causa est. Qui felicitatē humanæ naturæ, diuina gratia, collatā mortalib. inuidēt; illi ęgerrimè 12

ferunt

ferunt homines iis in ſedibus collocari, quibus ipſi, iuſtiſſimo Dei iudicio, peccatis ſuis poſtulantibus, eiecti ſunt.

13 Hæ cauſæ odij Dæmonum in humanũ genus. Hinc tot omnibus locis hominibus, ab ipſis, poſiti laquei: tot ſtructæ inſidiæ. Hinc prima & præcipua ipſorum cura: vt à Deo mortales auertant, & ad ſua caſtra pertrahant. Quòd quidem ſi conſequantur, præclaros ſe putant agere triumphos: ſi aſſequi deſperant, pro lucro habent, ſi vel corporibus, vel fortunis incommodent.

14 Porrò præterdictam ſuperius cauſam, etiam aliæ ſunt, quæ Spiritus Dæmoniorum ad homines ingrediendos, & torquendos inuitant. Inter has Toſtatus in cap. 8, Matthæi. q. 121. ponit propriam cuius ſunt appetentiſſimi, excellentiam, *Superbia eorum aſcēdit ſemper.* Quia verò ad ſuam dignitatem pertinere putant, ſi homines obſideāt & in eos quoddam quaſi imperium exerceant, vt id poſſint, vehementer expetunt.

15 Cùm hac, tertia habet affinitatem: vt, præter dignitatem, quam in hoc conſiſtere exiſtimant, etiam diuinus ipſis honos deferatur. Neque hîc ſpes fefellit illos. Voti facti ſunt compotes: ſi non apud Chriſtianos, certè apud Ethnicos: qui quēadmodum alios diuinis honoribus ſunt proſecuti, à quibus beneficia ſperabant: ita eoſdem aliis impenderunt: vt ab ipſorum vexatione & moleſtia eſſent liberi. Et hanc rationem habet Toſtatus Abulenſis, eodem loco.

16 Ex dictis ſoluitur quæſtio, qua, *Sintne feliciores illi, qui in humanis corporibus ſunt Dæmones, iis, qui detinentur in inferno,* quæritur. Feliciores nō ſunt, ſi quas

ſi quas pro peccatis pœnas luant, attendas. Quia tamen duo habent, vnde voluptatem quandam capiunt; fortè hac ratione feliciores dici poſſent. Horum alterum eſt, quòd carceribus inferni, quos oderunt, non concludantur: alterum, quòd voluptatem quandam ex hominum vexatione & moleſtia capiant; quorum vtroque carent alij.

CAPVT XVI.

An & qui homines poſſint Dæmones hominibus immittere.

DEi imperio & voluntate Dæmones in homines immitti poſſe; & quandoque immitti, certum eſt. Quemadmodum omnis Creatura, ita Dæmones ſunt Deo ſubiecti, eiuſque imperio parent, in quacunque etiam re ipſe illorum opera voluerit vti. *Columnæ cœli*, inquit Iob, *contremiſcunt; & parent ad nutum eius: Spiritus eius ornauit cœlos; & obſtetricante manu eius eductus eſt coluber tortuoſus.* 1

Certum etiam eſt inferiorum Ordinum Dæmones, pro *ſuperiorum voluntate*, ſi ita Deus permittit, immitti. Hoc multorum confeſſione edocti ſumus. Nec ratio ſuadet contrarium. Quid quòd neceſſe ſit, vt aliorum imperia Spiritus libenter excipiant, & mandatis pareant, ſi regnum ſuum tueri, propagare, & conſeruare volunt? 2

De *hominibus* quæſtio eſt, Vtrum illi quoque Dæmonibus valeant imperare, & poteſtatem facere, vt alios ingrediantur, & affligant. Et quoniam hominum non vna omnium conditio eſt, quæſtio 3

est de iis primùm, qui sanctitatis, & pietatis sunt cultores, & plurimùm apud Deum possunt; tum de his, qui se Dæmonibus deuouerūt, & ipsis operam in detrimentis hominibus afferendis, locarunt; quos Sagas, siue Maleficos dicimus.

4 Neutris potestatem hanc esse quidam inde colligunt: quòd par in parem, multo minus in superiorē inferior, imperiū nō habeat. Quapropter cū spiritualis creatura, quacunq; corporea sit superior, nihil cū authoritatē Dæmonib. qui Spiritus sunt, præcipere posse volunt homines corporeos.

5 Et quamuis (addunt) diuina auctoritate priores illi in Dæmones ius habent; finitum tamen illud est. Habent, inquiunt, potestatem exigendi ab hominibus Dæmones; non ad eosdem in corpora immittendi. Posteriores verò quemadmodum diuinitus potestatem non habent eiiciendi, ita nec imperare valent, vt humana corpora ingrediantur Sic illi.

6 Veruntamen, vt de prioribus primùm dicatur, *omnino illorum quidem ius illud habere videntur.* Quamuis enim, si spirituum naturas attēdas, præstantiores ipsi hominibus sint; conditio tamen status eorum, ad quam, peccatis ipsorum ita exigentibus deuenerunt, multò est multorum hominum inferior: Et licet *credentibus* in se Dominus dederit *potestatem eiiciendi Dæmonia*, Apostolis tamen alicubi absolutum plenumque, in Dæmonia, ius videtur contulisse *Conuocatis*, inquit, S. Lucas ca. 9. *duodecim Aeostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia Dæmonia*: & Lucæ 10. dicitur: *Dedi vobis potestatem super omnem virtutem inimici.*

7 Ad hanc rem confirmandam maius robur affe

afferunt exempla ex Sacris literis deprompta. Tradidit Apostolus Paulus Corinthium quendam Satanæ, *in interitum carnis, vt spiritus saluus fieret*. Eidem Satanæ, alio loco, tradidit Himenæum & Alexandrum, ob blasphemias. Et S. Parthemius rogatus à Dæmone, quem iam erat profligaturus, quonam expulsus diuerteret: *Hominem humilem*, respondebat, *ingredere*, *En*, addebat, *ingredere me*. ita Metaphrastes 7. Februarij.

Ad hæc accedit, quòd ipsi Dæmones, penes homines potestatem hanc esse, agnoscere videntur. Quomodo? quia si quando ex hominibus diuina virtute eiiciuntur, petunt; vt eorum, à quibus pelluntur, voluntate & facultate, alios ingredi liceat; quemadmodum & ille petiit, quem ex Artemia Diocletiani Imp. filia eiecit S. Ciriacus. Apud Surium Tomo 4. Et qui à Christo eiecti rogauerunt, vt in *porcos* mitterentur; non crediderunt se à Christo in homines mitti potuisse.

Veruntamen quamuis potestas hæc sit in Christi Ecclesia: apud paucissimos tamen est. Sed & rarissimè illa vtendum. Vnde & paucissima eorum, qui potestate hac vsi sunt, reperiuntur exempla. Olim, quando aliæ rationes deerant rebelles coercendi, & in officio continendi, admitti facilius potuit: nunc, quando commodiores rationes suppetunt, vtilius intermittitur. 9

Atque ita de prioribus sit definitum. *De posterioribus* idem dixerim. Refert B. Hieronymus in Vita Hilarionis, arte Vatum Aesculapij, Dæmonem in Virginem, quam iuuenis quidam perditè amabat, fuisse immissum; & miris modis illam dementasse. Refert Anastasius Nicænus, quæst. 23. Simo- 10

nem Magum eos, qui ipſum præſtigiatorem dicerent, Dæmonibus ſubieciſſe; poſtquam eos eſſet allocutus, bouem ſacrificaſſet, & conuiuio excepiſſet. Et qui arte Dæmonis ſpiritus exigebat, Apollonius Tianæus, Spiritus immittere non potuiſſet; Vide Baronium Tom. I. Anno Chriſti 88.

12 Addo dictis Dæmonum, qui in hominibus ſunt, & Maleficorum publ. confeſſionem. Confitentur illi, ſi quando Exorciſmis eiiciuntur, ſe à Sagis & Maleficis immiſſos eſſe: Teſtantur hi, dum quæſtionibus ſubiiciuntur, ſe Dæmones aliquando immiſiſſe. Fides vtrorumque, etſi forſitan in aliis rebus, hîc ſuſpecta eſſe non debet; cùm legitima de vtriſque fiat inquiſitio. Exemplum pro hac re recenſet Theodorus in hiſtoria Sanctorum Patrum quod ipſius verbis adſcribimus: Cùm quædam puella, *inquit*, thalamo adhuc contineretur, & repente cœpiſſet vexari à malo Dæmone, accurrit pater ad diuinum hominem (Macedonius is erat) orans, & vociferans, & poſtulans, vt curaretur filia. Is autem, precatus, iuſſit vt Dæmon ſtatim abiret à puella. Hìc Dæmon dicebat ſe eam non ſua ſponte fuiſſe ingreſſum, ſed magnis coactum pręſtigiis, prodebat quoque nomen eius qui coegerat; & amorem eſſe cauſam incantationis. Hæc cùm audiſſet Pater; non tulit iræ impetum; nec expectauit, vt curaretur puella: mox omnium Magiſtratuum ſummum adit: accuſat hominem. Rem negabat, & accuſationem nominabat calumniam. Hìc autem non alium citabat teſtem, quàm ipſum Dæmonẽ, qui miniſter fuerat incantationis: orabatque iudicem, curreret ad virum diuinum (Macedonium) atque eius acciperet

teſti

testimonium. Cùm verò is diceret non esse fas, nec iustũ, vt in loco monasticæ exercitationis haberetur quæstio: dixit pater puellæ, se in iudicium ductum Macedonium, & currens persuasit; & duxit: Magnus igitur Macedonius fungebatur officio Iudicis, vtens ea, quæ intus habitabat, potestate: Iussit igitur Dæmoni, vt consuetum mitteret mendacium, & tota rei veritate narraret tragœdiam. Ille à maxima adactus necessitate, & virum ostendit, qui ei magicis carminibus vim attulerat; & ancillam, per quã illa potio puellæ data fuerat. Hactenus Theodoretus Sect. 13. in Macedonio.

Nec mirum, si aut ipsi Malefici, dum hominibus incommodare student, Dæmonum operas postulent: aut operas suas ipsis locent Dæmones. Nunquid, non grauiora illi à Dæmonibus efflagitant? Nunquid non etiam grauiora, quam hîc afferuntur, ipsis promotoribus, dãna Dęmones procurãt? 12

Porrò non eadem hi posteriores cum prioribus potestate in Dæmones vtuntur. Quid quod posteriorum nulla sit in Dæmones potestas; priorum autẽ sit summa? Illis non possunt obsequium suum negare Spiritus, quamuis fortè hac in re sint prompti, & faciles: his, quamuis non negent, negare tamen si vellent, possent. Ibi mandata, quæ cum potestate dantur, vt serui exequuntur: hîc propter pacta, quæ cum miseris habent, seruiturẽ simulant. 13

Atque ita de *hominũ* in Dęmones imperio constitutum sit: Vnum addimus, antequam hoc Caput cõcludamus: alia, videlicet, ratione aliquãdo fieri, vt homo homini huius diabolicę tyrãnidis sit causa. Qua verò? *mala Superiorum imprecatione.* Neque enim nouum est, vt à Dæmonibus mox occupati 14

ſunt, quibus alij Dæmones eſſent imprecati. Poſſemus argumenti huius recentia exempla producere; ſed contenti erimus vno atque altero Cæſarij. Refert ille Lib. 5. cap. 26. iratum patrem filiæ quinquenni, cùm lac comederet, imprecatum eſſe; vt vna cum lacte Diabolum voraret. Vix verbum ille effatus, à Diabolo occupatur puella, miſeramque ſeruitutem, vſque ad maturam ætatem perpetitur.

Similia duo idem Cæſarius habet cap. 11. & 12. eiuſdem libri, Alterum de vxore, cui maritus: alterum de filio, cui pater Dæmonium imprecatus fuerat. Et in vita S. Parthenij legitur, apud Metaphraſtem 7. Februarij quòd difficilem ſe oſtenderit in illo Spiritu eiiciendo: qui immorigerum & rebellem filium, ad iuſtam parentum indignationem ingreſſus fuerat. Vide egregium pro hac re exemplum in Vita S. Zenobij apud Surium. Tom. 3. 25. Maij, & B. Auguſt. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8.

15 Atque, vt mala aliorum imprecatione Dæmonibus quandoque ingreſſus in hominem patet: ita poſſunt quidam à Deo rectè poſtulare; vt, in peccatorum iuſtam vindictam; Dæmonum torturæ quoſdam ſubiiciat: qui hac ratione carnificinæ huius diabolicæ quædam cauſæ dicentur, Qui benedicebat, Pſalm. 108. *Diabolus ſtet à dextris eius*: nonne ſimiliter benedixiſſet: Diabolus ipſum ingrediatur: Eſt & hac ratione vſus S. Eligius Nouiomēſis Epiſcopus, quemadmodū in ipſius Vita. c. 20. li. 2. refert Audoenus, Rhotomagenſis Præſul. Nam cum impios quoſdam, & ſuperſtitioſos ritus, quos in Natali S. Petri, ſui celebrant, abrogatos vellet; & imperata facere illi recuſarent, imò

ipſo

lentiores redderentur; à Deo, vt in eosdem animaduerteret, petiit. Quid verò? Mox amplius 30. obsessi sunt à Spiritibus immundis. Rogantibus tum, pro, sociis, aliis, *Experiantur*, respondit, *prius cui seruire elegerint*, perdurauitque vexatio per annum integrum: & recurrente eodem D. Petri Natali, pristinæ incolumitati sunt restituti.

CAPVT. XVII.

De variis operationibus Dæmonum, in obsessis corporibus; & quæ ex iis, hominibus possint tribui, quæ non.

Operationes, quas Dæmones, in obsessis corporibus, exercent, sunt *duplices*: quasdam exercent in obsessis corporibus, sed non per obsessa corpora: quasdam & in obsessis, & per obsessa corpora. Prioris generis sunt, quæ ipsis sunt propriæ, vt intellectus atque voluntatis actiones; quæ sub nullum sensum cadunt. Posterioris, quæ aliquo sensu percipiuntur, & cum corporibus, aliquid commune habent. 1

Hæ rursus sunt *duplicis* generis. Quibusdã cruciantur & torquentur Obsessi: Aliæ sunt, quibus nullum tormentum Obsessis afferri videtur. In illo genere sunt, quarum Capite septimo meminimus: in hoc partim sermones, quos in obsessis corporibus habent Dæmones; partim labores, quos Obsessi subire, & perferre videntur: vt sunt vinculorum disruptio, onerum, quibus humanæ vires non sufficiunt, translatio, &c. 2

Qualescunque verò operationes habeant, & 3

exerceant Dæmones; quamuis in humanis corporibus fiant, ab humanis tamen plurimùm differre dubium non est. *Primæ* illæ, voluntatis & intellectus hoc differunt; quòd necesse non sit volentibus intelligere ad phantasmata, quæ in hominis imaginatione sunt, attendere. Huius in promptu causa est, quia non quemadmodum in corpore anima est, ipsi corpora inhabitant Spiritus.

4 Sic nec quicquam corpora ipsos in his operationibus impediunt, nec vt vel plura, vel facilius intelligant, iuuant, quas res possunt, & quot res possunt, dum ab humanis corporibus expediti sunt, percipere: easdem, & quidem omnes, possunt in corporibus latitantes.

5 Ratio *secundarum* operationū superius explicata est. hîc repeti non debet. Id solum addiderim, nullo modo humanas eas dici debere: propterea quòd eas homines concurrere non videantur; sed ad patientium tantum modum se habere. Huius generis fuit totius corporis in modum vtri inflatio; & maxima aquæ per omnes meatus cum ingenti vocis intensione effusio; quam in puero, à quo Dæmonium expulit S. Macarius, præsentes sunt admirati: de quo Palladius in Vita Macarij: Distortio item & volutatio Eutychij cuiusdam, quem Theodorus Archimandrita ab obsidente Spiritu liberauit: cuius in eiusdem Vita fit mentio, apud Georgium presbyterum, eiusdem discipulum.

6 De *tertiis* dubium non est, quin illæ, ad quas subeundas humanæ vires impares sunt, Dæmonibus adscribēdæ sint. Ad has etiam saltum refero, velocemque

cémque cursum mulieris, à S. Bernardo Mediolani curatæ: de qua in Vita Bernardi libr. 2. cap. 4. quòd saltu scamnum, in quo S. Bernardus sedebat, transilierit: &, tantæ agilitatis causam interrogata, responderit, se pernicitate etiam posse superare velocissimos equos.

At de sermone, atque oratione, quam Obsessi habent, quæstio est: Dæmonúmne sint. Hoc nostrum iudicium est, quòd quamuis multa per se Obsessi loquantur, ad quæ Spiritus nihil conferunt: sæpissimè tamen fit, vt totus sermo sit Dæmonum, tum maximè, quando terribiles rugitus atque inconditos clamores exercitant: quando, quæ ab hominibus cognosci nequeunt, futura prædicunt: quando reuelant, quæ Obsessorum cognitionem fugiunt: quando linguis loquuntur peregrinis: quando de rebus altissimis sermonem habent, & à vexatione Spirituum liberi, quæ dixerunt, ignorant: quando in potestate Obsessorum non videtur esse, vt taceant. 7

Hinc ex *quinque* potissimum signis Tostatus Abulensis, in 8. Matthæi, quæst. 114. putat posse deprehendi, Vtrum Dæmonum sit oratio, quæ ex Obsessorum ore proficiscitur. Primum, *inquit*, est, si loquantur, quæ aliàs nescierunt: vt si omnino rusticus lingua loquatur Hebraica. 2. si voce consueta loquantur, sed de rebus altissimis, quas scire non possunt. 3. si postquam cessant abripi, & sibi restituuntur, nesciant respondere de his, de quibus sermonem habuerunt. 4. si de rebus secretis, quas nulli mortalium valent cognoscere, loquantur. 5. si in ipsorum potestate non est, vt taceant, vel loquantur. Hæc Tostatus. 8

Quocirca non obſeſſorum hominum : ſed obſidentium Dæmonum opera erant rugitus, vlulatus, mugitus: quos obſeſſa mulier ad corpus S. Liborij Cenomanenſis Epiſcopi edebat: de quibus Tom.4. Surius fol.338. Ingens item clamor, quem cum maxima aquæ effuſione edidit puer, à S. Macario curatus: de quo Theſi 5. Oratio etiam, qua à filia Gordiani Imper. dicebatur, à ſolo Triphone ſperandam incolumitatem : quemadmodum in Vita Triphonis 1. Febr. refert Metaphraſtes: & illa quoque, per Obſeſſum ſignificabantur aduentus S. Germani, cum ſocio Lupo, in Britanniã: de qua Conſtantinus presbyter, in Vita S. Germani, cap. 22. Conuitia præterea, quæ Obſeſſi coniecerunt, partim in S. Columbanum, de quibus Ionas Abbas, cap. 27. Vitæ eiuſdem partim in S. Bernardum, de quibus, Lib. 2. cap. 4. in Vita Bernardi, Denique vociferationes importuniores, quibus quædam interturbarunt S. Dominici Concionem, quarum in eius Vita, lib. 2. c. 9. fit mentio.

10 Sed quamuis Dæmonũ omnia hæc ſint voces: multo tamen hic plura habent præſidia, quàm aliàs: dum loquuntur, aut in brutis animantibus, aut in effictis, ipſorum opera, corporibus. In his poſtremis, cùm nec animata ſint, nec viuentia: nulla apta ſunt organa, ad locutionem vocémque formandam. In brutis animantibus organa quidem ſunt locutionis, veruntamen non ita perfecta, vt in hominibus. In hominibus completa ſunt perfectáque.

11 Hinc non malè doctiſſimus Toſtatus, in 8. Matth. quæſt. 114. triplices Dæmonum locutiones in corporibus diſtinguit. Dæmones, *inquit,* poſſunt;

possunt loqui per corpora tripliciter. Primò in iis rebus, quæ nec per se possunt loqui: nec habent organa ad loquendũ. Secundò in iis, quæ per se nõ possunt loqui: habẽt tamẽ omnia, vel prima locutionis organa. Tertiò per res, quæ organa habent, & per se quoque possunt loqui. Hæc Tostatus.

12 Quandocunque verò hæc fiunt, nõ verè voces sunt, quæ audiuntur: quemadmodum nec veræ voces sunt, quas in assumptis corporibus formant Spiritus: licet ibi viua sint hominis organa, quibus vtuntur: hic non viua: sed vel ex aëre condensata, vel aliunde assumpta.

13 Sed nec tum norunt Obsessi, (quemadmodum diximus) quæ dicuntur. Vt soni, qui formantur, Dæmonum sunt opera, ita, quæ per sonos repræsentantur, non cogitationes aut cõceptus sunt obsessorum hominum, sed obsidentium Dæmonũ.

14 Hinc fit, vt nec vllum sit hoc Obsessornm peccatum; si aut peierent, aut blasphement, aut secreta, contra iustitiam Christianámque charitatem reuelent. Quemadmodum in gladio, quo latro ad trucidãdos homines vtitur, peccatum nullum est; ita nullum hic in Obsessis peccatum. Dæmones hic delinquunt; vt ibi latro.

15 Sed quid si suo peccato ad hanc miseriam venissent mortales; nũquid, quæ per ipsos committuntur peccata, ipsis imputabuntur: queãdmodũ ebriis homicidia? fornicationes? blasphemiæ? &c. Respõdeo non imputanda: nec horũ nomine supplicium de ipsis à Deo sumptũ iri. *Alia ratio ebrietatis, quam sequuntur homicidia, & fornicationes: alia carnificinæ Dæmanũ, propria culpa contractæ. Ebrietas peccatũ est: carnificina hæc nõ peccatũ, sed peccati pœna.*


Omnis

Omnis culpa quæ secũ alia peccata trahit, illos omniũ sequentium peccatorum reos constituit, qui culpa sunt authores, at pœna, si qua talis est, vt ad peccata inducat, reatum horum, ad eum, cui pœna inflicta est, non trahit. Ita Tostatus quæst. 119. in 8. Matth. Nec malè. Quid enim; Si furtum alicui causa incarcerationis sit, idcirco idem dicemus causam esse omissionis omnium officiorum, ad quæ legibus Christianæ iustitiæ tenetur? Sed nec per se peccata, quæ obsessi homines committunt, coniuncta sunt cum Dæmonum carnificina: aut mox illam sequuntur, atqui in hominem, ob delictum aliquod, Dæmon potestatem accepit. quocirca quemadmodum peccata, quæ ebrietatem sequuntur, quæ tamen nullo modo possunt præuideri futura, ebriis non imputantur: ita neque illa, quæ per obsessos homines committuntur. Et hæc bene Tostatus.

***

Finis primæ partis Disputationis de Dæmoniacis.

SECVNDA



SECVNDA PARS

DISPVTATIONIS DE DÆMONIACIS,

IN QVA

QVI SINT OBSESSI: EX QVIBVS *signis Obsessi deprehendantur: quæ ipsorum conditio, & quas ob causas Dæmonum tyrannidem patiantur, &c. explicantur.*

CAP. XVIII.

An Catechumeni, & qui Baptismatis Sacramento nondum sunt initiati, à Dæmonibus obsideantur.



VEMADMODVM de obsidẽtibus Dæmonibus multa fuerũt, quæ difficultatem habuerunt magnam: ita haud pauca sunt, quæ de Obsessis hominibus disputantur, & in controuersiam vocantur. De his altera præsentis Disputationis pars erit. 1

Ad quatuor autem summa Capita reuocari posse omnia videntur. Quorum primò, de certis quibus 2

quibusdam hominibus differitur,& quæritur,sintne verè Obsessi,secundo, inquiruntur signa, quæ Obsessos produnt:tertio explicatur miseria & infelix Obsessorum conditio: quarto causæ inuestigantur, ob quas tyrannidem hanc in mortales exerceant Spiritus.

3 Primò Capite de quatuor hominum generibus præcipuè disputatio est. Principio sunt *Infantes*,atque omnes,qui Baptismatis sacramento nondum sunt initiati. Deinde *Sagæ* atque *Malefici*, qui hominum generi, Dæmonum opera, maxima detrimenta afferre solent. Tertio *Diuinatores*, qui futura prædicunt,atque occulta reuelant. Quartò *Hæretici*,& à Christiana religione, siue fide *Apostatæ*.De singulis inquirimus.

4 Contra *primos* grauissimum argumentum præbent Exorcismi,quibus Catholica Ecclesia, antequam eos Baptismi sacramento initiat, vtitur. Primùm enim Sacerdos,eos afflando,sic loquitur: *Exi ab ijs immunde Spiritus, Satana, & da locum Spiritui sancto paraclito.* Mox deinde oratio ad Deum instituitur, qua rogatur,vt *disrumpat omnes Satanæ laqueos, quibus miseri alligati sunt*. Adiungantur & hæ Orationes: Exorcizo te immunde Spiritus, in nomine Patris,& Filij, & Spiritus sancti; vt exeas & recedas ab hoc famulo Dei N. Ipse enim imperat tibi,maledicte, damnate, atque damnande: qui pedibus suis super mare ambulauit, & Petro mergenti dextram porrexit.*Item*:Ergo maledicte Diabole,recognosce sententiam tuam: & da honorem Deo viuo & vero,da honorem Iesu Christo, filio eius, & Spiritui sancto; & recede ab hoc famulo Dei,&c.Vide Agendam Salsburg.

In

In hac causa, vt illud primùm dicatur, certũ est Dæmones in *infantes* hos, atque adeo omnes, non baptizatos, ius & potestatem aliquam habere. Disertissimis id verbis docet sacra Tridentina Synodus, Sess. 5. dum asserit omnes homines, cùm in præuaricatione Adæ innocẽtiã perdidissent, factos esse immũdos: natura filios iræ, seruos peccati, atque adeo venisse in potestatẽ Diaboli, & mortis. 5

Sententiam Concilij confirmant sacræ literæ. Docet Saluator *Principem huius mundi venisse, & in se non habere quicquam.* Dum *Se* excipit: in reliquos aliquid habuisse insinuat. Idem docet non semel homines per ipsum *à potestate Dæmonum liberandos.* An à potestate Dæmonum liberari potuerunt, qui sub Dæmonum potestate non fuerunt? 6 Ioan. 14.

Cum Saluatore consentit Gentium Doctor Paulus. Sic enim loquitur: *Christus eripuit nos de potestate tenebrarum: & transtulit in regnum dilectionis Filij sui.* Docet idem Christũ *tulisse de medio Chyrographũ decreti quod erat contrariũ nobis: & affixisse illud cruci, sicq; expoliasse Principatus & Potestates.* 7 Colos. 1.

Non desunt etiam ad hanc rem confirmandam Prophetarum Oracula, qui Christum, vt liberatorem & redemptorem nobis commendant. Proferimus ex multis vnum. *Confitemini*, inquit Regius Propheta, *Domino, quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius. Dicant qui redempti sunt à Domino: quos redemit de manu inimici: de regionibus congregauit eos.* 8 Psal 106.

Pluribus opus non est, Doctorum omnium, post Apostolos (vt Ecclesiæ hostis Petrus Abailardus, apud Bernardum, Epist. ad Innocent. testatur) hæc sententia est: *Diabolum Dominum, & potestatẽ* 9

super

ſuper homines habere, & iure eos poſſidere: propterea quòd ex libertate arbitrij, quam habebant, ſponte Diabolo conſenſerint.

10 Duo autem potiſſimum hac poteſtate in miſeros mortales poſſunt Diaboli. Primò, poſſunt omnes, ſi quidem ex hoc ſæculo, non per Chriſtum redempti, diſcedant, in infernum detrudere. Deinde poſſunt viuentibus plurimùm incommodare: frequentius ipſos decipere: ad idololatriam, ſuperſtitionem, aliáque grauia & enormia crimina potentiùs inflectere. Ob hanc cauſam non immeritò à Domino, *Principes mundi*, ab Apoſtolo *Rectores mundi:* ab Hilario *Mundi potentes* dicti ſunt. Vide Andream Vegam, lib. 2. cap. 3. & 4. de Iuſtificatione.

11 Veruntamen, quamuis hanc in *Infantes*, & omnes, nondum regeneratos, poteſtatem Dæmones habeant: non tamen illos *obſidere*, aut *poſſidere* dicendi ſunt. Neque enim idcirco nobis homines *obſidere* Dæmones dicuntur, quia in ipſos poteſtatem aliquam habent, ſed quia in ipſis corporibus latitant: &, vt in iis hominibus moleſti ſint, facultatem à Deo acceperunt.

12 Sed nec quiſquam adeò deſipit, vt vel *Infantes*, vel nondum baptizatos in obſeſſorum numero habeat. Quantus, Deus bone, Obſeſſorum foret numerus? quot opus ad omnes conſtringendos catenis? quot vinculis? præſertim ſi poteſtate ſuâ vti Dæmones vellent?

13 Adde quod omnes omnino peccatores à Dæmonibus obſideri, liceret dicere. Quid ita? quia in hos, non minor (ne maiorem dicam) ipſorum, quàm in nondum baptizatos poteſtas eſt. Cui verò, vel

vel per somnium, in mentem venit; vt omnes peccatores pro Obsessis habeat?

Solet certis signis deprehendi, quòd in hominibus lateant Nequam Spiritus. Hæc sunt: si futura prædicant: vel si certa reuelent; si diuersis loquantur linguis; si labores humanis viribus superiores perferant, &c. An hæc in Infantibus? Quandiu hęc in Infantibus, in infidelibus, in quibusque peccatoribus non deprehendimus; nequaquam Obsessos dicemus: quamuis, propter peccatum, summam etiam in ipsos potestatem habeant Dæmones. 14

Quorsum igitur Exorcismi? Cur *exire* ab Infantibus iubetur Diabolus? cur *discedere* & *locum dare* Christo? Ridet, vt pleraque alia Christianæ Religionis exercitia, hanc, ab Apostolorum temporibus receptam in Ecclesia, exorcizandi Dæmonia, consuetudinem Ioannes Caluin. Lib. 4. cap. 19. §. 24. Vult esse prorsus inanem & fictitiam: At cum Sanctissimorum Patrum haud leui iniuria: quorum pro hoc ritu sunt grauissima testimonia. Audiamus ex pluribus vnum aut alterum. Chrysostomus sic loquitur. Hom. de Adam & Eua. Cùm ad regenerationis veniunt sacramentum; non prius fontem vitæ ingrediuntur: quam, Exorcismis & exufflationibus Clericorum, Spiritus ab illis immundus abigatur, & deinceps vasa illius eripiantur. In eandem sententiam loquitur Cyrillus, Hierosolymorum Episc. Catech. 2. Insufflationes Sanctorum, & nominis diuini inuocatio, tanquam vehementissima quædam flamma, vrit Dæmones, & in fugam conuertit. Hi Græci sunt. Addamus ipsis ex Latinis tres: primus sit Optatus Milleuitanus. Is sic habet, Libr. 4. contra Parmen. Omnis homo, qui nascitur, sine 15

Spiritu, mundus esse non potest. sub potestate Dæmonis est: quem necesse est ante salutare lauacrum excludi. Non aliud habet Rabanus Maurus, lib. de Institut. Clericorum. Exorcizatur, inquit, Diabolus, vt suam nequitiam agnoscens, & iustum super se Iudicem timens: recedat ab homine: nec iã contendat eum arte sua subuertere, ne baptismum cõsequantur. Consentit cum omnib. B. Augustinus, qui hęc habet, lib. I. de Symbolo, ca. I. Sicut nostis fratres charissimi, paruuli exsufflantur, & exorcizantur; vt pellatur ab ijs Diaboli potestas inimica; quæ decepit hominem, vt possideret homines: Non ergo creatura in Infantib. exorcizatur, aut exsufflatur: sed ille, sub quo sunt, qui peccato nascuntur. Ita Patres.

16 Quæramus etiam ex Caluino, Quidnam, sit, quod hic damnãdum censeat? An, quòd credamus Diabolum in Energumenos, & non baptizatos pueros, potestatem aliquam habere: An, quod ipsi, vt hos relinquat, imperemus? Primùm, iure damnare nequit. Id Ecclesiæ Doctores: id D. Paulus: id Christus ipse astruit. Si secundum damnat: omnino fateatur oportet, in Christi Ecclesia, in Dæmonia potestatem nullam esse.

17 At forsitan existimat ridiculum esse, vt ab homine *exire* dicatur, qui in homine αὐτοπροσώπως nõ fuit? Ridiculum hoc non est. Non præcipitur, vt ex corpore, quod obsidet, discedat. Præcipitur, ne potestate, quam in hominem habet, vtatur: hoc est, præcipitur, vt exeat effectu, atque operatione, qui extra hominem est autoprosopia: præcipitur, vt suum ius, quod in hominem habet, resignet & illud Christo, qui per proprium sanguinem hominem

nem redemit, tradat.

Noua non est, nec inusitata hæc loquendi for- 18
ma. Nunquid à Pharaone dicitur *egressus* Moyses? Nunquid, vt à se *exiret* Dominus rogauit Petrus? An igitur aut Moyses in Pharaone, aut Dominus fuit in Petro? Ibi etiam res esse dicuntur: vbi imperium habent, & potestatem exercent. Inde *exire* dicuntur, vbi imperio & potestate priuantur. Sed ad secundos.

Capvt. xix.

An Sagæ atque Malefici à Dæmonibus obsideantur.

De *Sagis* atque *Maleficis* etiam quæstio est. Hos 1
à Dæmonibus possideri quidam sibi prorsus persuaserunt. Argumentum sumunt ex *purgatione aquæ frigidæ.* Existimant enim, quòd si de *maleficio* suspectæ mulieres in aquam coniiciantur, & supernatent: maleficij sint reæ: si subsidant: sint innocentes, Et ita quidem maleficas, aut innocentes deprehendi volunt. sed tamen, quòd supernatent, accide putant ex: abolum, à quo obsessa sint, habeant: qui cum sit igneæ, aut aëneæ. vt dicunt, naturæ, efficit: vt maleficarum corpora nequaquam subsidant, sed in aquis supernatent. Ita nuper quidam edito in lucem libello.

Verùm in hac sententia, & multi sunt errores, 2
& magni. Primus est, quòd *purgationem aquæ frigidæ.* probet. Nullo modo illa licita est: non sine Dei summa contumelia admittitur. Optimè Stephanus Romanæ sedis Episcopus, sic statuit: Ferri cādētis

vel aquæ feruentis examinatione confessionem extorqueri à quolibet, sacri non censent Canones, & quod Sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinuentione non est præsumendum. 2.q.4. Consuluisti.

3 Secundus error est, quòd *Dæmones credant aëreæ esse naturæ*, & ob id leues, atq; in aquis supernatare. Neque aëreæ, aut igneæ naturæ sunt Dæmones: neq; graues, aut leues, Spiritus sunt, & quia omnis, quæ ex corporibus est, concretionis expertes, nullas earum qualitatum, quæ in corporibus sunt, admittunt.

4 Tertius error est, quòd *eos, in quibus Dæmones sunt, putent supernatare.* An non in porcorum gregem immissi Dæmones, (quos ex homine quodam Dominus expulit) mox vniuersos in profundum maris præcipites egerunt? Et si leuitas Dæmonum non permittit, vt in aquis subsidant, qui fit vt tot ipsorũ millia intimis terræ viscerib. includãtur?

5 Quartus est, quòd *Maleficos & Sagas definiunt, qui supernatant.* Supernatarunt Sanctorum plurimi qui ob Christi fidem, post alias, quas sustinuerunt, grauissimas pœnas, in maria præcipitati sunt; nec quamuis maximis onerati saxis, mergi potuerunt: an fortè hos in Maleficorum numero reponent? Ex horum Sanctorum numero est Cethæus, aliàs Peregrinus dictus, qui B. Gregorij tempore claruit teste Baron. 13. Iunij. Hic cùm ab Vmblone Longobardo capitis damnatus esset; nec decollari posset, in flumen submergendus præcipitatur: & ne enataret, magni lapidis mole grauatur: sed quid? corpus in profundo contineri non potuit, ad littus peruenit, egregia à Christianis sepultura hono-

noratum eſt. An fortè hic Magus? Sanctitatis ipſius præclarum argumentum ſunt mors pro Chriſto obita: & quæ mortem ſecuta ſunt prodigia. Cùm Peregrino coniunxero SS. Martires Criſpinum & Criſpianum, viros nobiles genere, & pro Chriſto factos Sutores: de quibus Surius Tom. 5. & Mombrit. Tom. 1. ſimilia referunt.

6 Quintus error eſt, quod *innocentiam probent ex eo ſi in aquis mergantur.* Quaſi perditiſſimus Magus eſſe non poſſit, qui in aquas coniectus ſubſidat. An non grauia per ſe inferum locum petunt? aut homines in numero grauium corporum non ſunt? Poſſunt innocentes ſupernatare. Poſſunt nocentes, & maleficij rei profunda aquarum petere.

Hi errores. Sed quid ad Quæſtionem? Hoc breuiſſimè. *Nequaquam omnes eos, qui his artibus incommodant, à Diabolis poſſideri.* 7

8 Ad aſſertionem hanc confirmandam nullis alijs præſidiis opus eſt; quam quæ ſuperiori Capite ſunt allata. Non eos pro *Obſeſſis* habent, qui norunt, quid ſit homines à Dæmonibus *obſideri*: non vinculis eos, vt Obſeſſos, conſtringimus: non oneramus catenis, ſed neque in ipſis argumenta deprehendimus, quæ Dæmones in hominibus ſedes ſuas habere, demonſtrare ſolent.

Adde, quòd iuſta de illis ſupplicia nequaquam ſumi poſſent. Quis vnquam Iudex de Obſeſſis ſumpſit? quando etiam alijs vel mortem, vel damnum in fortunis attulerunt? Et cur afferrent? Neque enim homines horum malorum, quæ fiunt, cauſa ſunt, & auctores; ſed qui in hominibus degunt. Dæmones. Illi ſunt, qui corpora impellunt, cædes faciunt: dant ſtrages, damna afferunt, &c. 9

10 Veruntamen quamuis à Dæmonibus obſeſſi non ſunt malefici & Sagæ: multò tamen deterior plerumque eorum, quam Obſeſſorum eſt conditio ob maximam, quam cum Dæmonibus habent, cõiunctionem: ob abnegatæ Chriſtianæ Religionis, & fidei ſacramenta: ob horrendæ, quæ Dæmonib. litant ſacrificia: ob incredibilem, quam Sacramentis Chriſti inferunt, contumeliam: ob turpiſſima, quæ cum Dæmonibus habent commercia: ob maxima, quibus ſe cum grauiſſimis hominum damnis, implicant, crimina. Sed hæc alium requirunt locum.

CAPVT XX.

An Diuinatores ſint à Dæmonibus reipſa obſeſſi?

1 MAior fortaſſis difficultas eſt, de *Diuinatorib.* Difficilius hos ab eorum ordine videmur poſſe abſoluere, qui *Obſeſſi* dicuntur: propterea, quòd argumenta, quæ Obſeſſos produnt, apud hos certiora & maiora deprehendamus.

2 Neque enim dubium vllum eſt, hanc certam ſatis regulam, qua Obſeſſi dignoſcuntur, eſſe: ſi ea, quæ humana induſtria nequeunt cognoſci, prædicant, & annuncient. Qua in re, cum videantur excellere Diuinatores: nulla fortaſſis illis iniuria, facta dicetur, ſi inter Obſeſſos numerentur.

3 Sed tamen in Obſeſſorum numero Diuinatores eſſe, dici non debet; niſi alia argumenta, quæ à Dæmonibus poſſideri conuincant, producantur. Eſto vtrique occulta reuelent, ſed tamen alio modo Obſeſ

Obſeſſi, alio Diuinatores. Loquuntur in Obſeſſis Dæmones, dum occulta reuelant: in Diuinatoribus non item. Quæ referunt Diuinatores, loquuntur ipſi, licet, quæ loquuntur & referunt, à Dæmonibus habeant.

Præterea, quæ per Ob ſeſſos loquuntur Dæmones, ignota prorſus ſunt ipſis Obſeſſis: quæ Diuinatores annunciant, Dæmonum relatione ipſis innotuerunt, & perſpecta ſunt: non minus, atqui ea, quæ hominum relatu, aut alia aliqua ratione perceperunt. 4

Accedit, quod Diuinatores, niſi prius Dæmones, conuenerint, & occulta expiſcati ſint: nulla ſciant, aut reuelare valeant. At hac conſultatione Obſeſſi opus non habent: Ipſis, tanquam quibuſdam inſtrumentis, Dæmones vtuntur, dum occulta reuelant. 5

In Diuinatione igitur homines opera Dæmonum vtuntur: in obſeſſis, hominibus vtuntur Dæmones. In diuinatione Dæmones agunt Præceptores: in Obſeſſis rectores & motores. Diuinatio non eſt ſine peccato hominum, qui diuinant: reuelatio ſecrerorum, quæ per Obſeſſos fit, ſine peccato eorum, qui ſunt obſeſſi accidit. 6

Hinc fit, vt (quemadmodum præcedenti Capite dictum eſt) deterior conditio eſt Sagarum & Maleficorum, quàm obſeſſorum, ita quoque deterior ſit Diuinatorum, propterea, quòd malum à Dæmonibus pati, malum non ſit (quod in Obſeſſis accidit:) grande autem malum ſit, Dæmonum, in quacunque re, opera, auxilio, aut conſilio vti: quod in Diuinatione locum habet. 7

Hinc, item fit, vt iuſta ſint, quæ de Diuinato- 8

ribus ſumuntur ſupplicia. quæ profectò, ſi à Spiritibus obſeſſi eſſent, iuſtè ſumi non poſſent: quemadmodum iniuſta eſſent, ſi de obſeſſis, ſi quando futura reuelant, ſumerentur.

9 Veruntamen quamuis, Diuinatores *omnes* Obſeſſi non ſint: ex ijs tamen *aliquos* obſeſſos inueniri aliquando, dubium non eſt. Probat hoc exemplum puellæ (cuius in Apoſtolorum Actibus Lucas meminit) habentis Spiritum Pythonem, & magnum quæſtum dominis ſuis facientis, diuinando. Hanc enim verè à Dæmone Obſeſſam fuiſſe, inde colligitur; quòd in nomine Domini IESV CHRISTI, Apoſtolum ab eadem Spiritum ei eciſſe referat idem Euangeliſta.

Eodem modo pro obſeſſa habita eſt, cuius Cęſar Baronius mentionem facit, Tom. 8. hiſtoriæ Eccleſ. quæ tempore Maximini Imperat. circa annum Domini, 237. & miris rebus editis homines dementabat, & multa prædicebat: multos quoque eò perduxit, vt ſe ſequerentur: ſuo baptiſmate initiarentur: auſteritatem vitæ quam ſimulabat, imitarentur. Vide apud Cyprianum de Hæreticorum Baptiſmo paulo poſt medium. Denique & illa pro Obſeſſa habita, cuius in Vita S. Hugonis, Epiſcopi Liconienſis, fit mentio: quæ præterquam, quòd multa prædiceret, etiam importuna ſua loquacitate, & quòd ad nullius imperium ſileret, omnibus erat grauis: quam tandem S. Hugo ab inhabitante Spiritu liberauerit, Vide apud Surium, Tom. 6.

10 Hoc modo olim Dæmon multùm dementauit ſuperſtitioſos gentiles, per Delphicam Apollinis virginem, Sacerdotem. Ad hanc enim cum ignota

peti

petituri accederent:ipsa primùm,antrum,ingressa,Dæmonem consulebat:mox in terram ruebat, & quasi furebat, inde egressa ad homines responsa dabat,quamuis non tam ipsa,quam per ipsam inhabitans Spiritus.Ita obsessam fuisse Sibyllam dixero,de qua Vergilius,quod antrum ingressam,

Quò lati ducunt aditus centum,ostia centum.
Vnde ruunt totidem voces,&c.mira forma corripuit.Quoniam

——Non vultus. Non color vnus:
Non comptæ mansère comæ:sed pectus anhelum.
Et rabie fera corda tument,maiórque videri,
Nec mortale sonans: afflata est numine,quando
Iam propriore Dei:&c.

Quæ cum ita sint : duo Diuinatorum genera possumus constituere : vt quidam inhabitantem dicantur habere Spiritum:quidam *aßistentem*, siue familiarem,Priores propriè ignota nō cognoscunt, quamuis reuelent.Posteriores multis modis Dæmonum opera percipiunt : vnde & tot diuinationum species,Chyromantia, Hydromantia , Nigromantia & similes ; quas quoniam ad præsentem Disputationem non pertinent, pluribus persequi necesse non est. Legēdus inter alios Tostatus in 1.Reg.cap.28.quæst.9. 11

Cæterum Diuinatorum distinctio, quam assignauimus,inepta non est. Sacrarum scripturarū nititur authoritate:quæ 1.Reg. 28.duo genera distinguit illorum , qui *Spiritum* habent *Pythonem*. Quidam enim simpliciter dicuntur illum *habere*: quidam *in ventre habere*,priores familiares & assistentes Spiritus habent,à quibus multis modis,de occultis instruuntur : posteriores in corpore siue ventre. 12

ventre. & in prioribus homines loquuntur atque referunt, quæ à Dæmonibus acceperunt: in posterioribus plerunque ipsi in hominibus Dæmones.

CAPVT XXI.

An Hæretici verè à Dæmonibus obsideantur.

1 HÆreticos passim malè audire, extra omnem controuersiam est. Magnam etiam eosdem cum Dæmonibus habere coniunctionem vel communionem, hinc licet colligere, quòd Marcionem Hæreticum D. Policarpi. vocarit *Primogenitum Diaboli.* Hieronymo descrip. Eccles. teste: quòd Apost. Paul. dicat eos, *Attendite Spiritibus errorũ, & doctrinis Dæmoniorum*: quòd B. Ambrosio, l. 2 de Cain. c. 4. comparet *Iudæ Iscariotæ*, qui Satanæ fuit domicilium: quod ministri sint mendacij *cum parte est Diabolus.*

1. Tim. 4.

Ioan. 8.

2 Sed & quàm plurimi eorũ cum Diabolo egerunt, vel ab eodem, tanquam à Magistro, sua dogmata acceperunt. Hoc docent de Simone Mago Egesippus, & Cyrillus: de Basilide Theodoretus: de Marcione Innocẽtius; de Menandro Epiphanius: de Theodoro Eusebius: de Carpocrate Tertullianus: de Buda Cyrillus: de Mõtano rursus Eusebius: de Massiliano Theodoretus de Eutyche idem: de Berengario Polydorus Vergilius.

Lib. 3. de Excid. Catech. 6. Li. 7. 1. Fabul. lib. 3. cap. 3. Hæres. 22. lib. 6. c. 16. Lib. de anim. Catech. 6. lib. 5. c 33. lib. 4 fub. ibid. lib. 9. hist. Angli.

Nostro etiam tempore id de iis, quos ex se procreauit, ipsemet Lutherus testatur: de Carolstadio, inquam, libro contra Corolstadium: de Oecolampadio, libro de Missa angulari: de Anabaptistis, libro contra ipsos.

Testan

Testantur idem de Dauide Georgio Basilienses Prædicantes, in Historia de ipso: de Andrea Osiandro Erasmus Alber. libro contra Carolstadium: de Ioanne Knopæo Archibaldus, libro de Confessione Caluin. de Marco Kuuikano, Lutherus in Sympos. cap. 37. de Campano Lindanus, libro de fugiendis Idolis: de Bucero Lutherus. in Colloquio VVitemb. anno 1537.

Idem hoc de seipsis duo, omnium præcipui, coryphæi memoriæ prodiderunt: Nam Zvvinglius clarè scripsit, teste Erasmo Alber. libro contra Carolstadium, se suum, de Eucharistia, placitum *à Spiritu quodam accepisse; de quo dicere nequeat albúsne fuerit, an niger.* Lutherus verò pluribus foliis persequitur (libr. de angular. Missa) quemadmodum Diabolus *ad se venerit: se honorificè salutarit: sibi argumenta plura, quibus ad Missam, aliáque veteris disciplinæ dogmata deserenda commotus sit, grandi & terribili voce proposuerit.* 3

Et duo summi Imperatores, Maximilianus I. & Carolus V. diabolicæ consuetudinis non obscurè Lutherum notarunt. Ille quidem, dum eum procul à se abduci iuberet, quòd in eius humeris insidentem Diabolum videret: hic verò, dum eum non hominem, sed Diabolum, qui hominis personam induerit, in publico & solemni Edicto appellauit VVormatiæ, anno 1521. Bredemb. lib. 7. Collat. cap. 47.

Hæc forsitan cuipiam suspicionem generabũt & facilè persuadebunt, vt Hæreticos inter Obsessos numeret. Confirmabitur etiam, quãdo intelliget olim quosdam, vt Eusebius insinuat, lib. 5. cap. 15. In ea fuisse sentẽtia, vt iudicauerint Exor- 5

cismis tentandos esse Montanistas hæreticos.

6 Sed tamen, quamuis cum Diabolo cõmunionem & consuetudinem habeant hæretici (imprimis ipsorum Duces & capita) *Obsessi tamen omnes nec possunt, nec debent dici*: propterea, quod vera in ipsis signa, quæ Obsessos produnt, desiderentur, quod quoniam certum est, probatione non eget.

7 De vno tamen ipsorum genere, *Anabaptistis quibusdam*, vehementes sunt suspiciones, Nec sine ratione. Hæc est grauissimum obsessi hominis, in quibusdam ipsorum iudicium. Quidam enim, vbi deserta religione Catholici, huic sectæ se deuouent; mox, post haustũ poculum, aut sumptam buccellam, norunt sacras literas legere, & de diuinis rebus differere: &c. quidam etiam mox sacram Scripturam memoria tenent: rursus iidem omnium obliuiscuntur, & penitus norunt nihil; quàm primum resipiscunt, & ad Catholicorum castra redeunt.

8 Non potuit aliquando doctissimus vir, Guillelmus Lindanus, sibi persuadere hanc rem ita sese habere: sed postquam fide dignissimorum testimonio confirmatus est, dubium animum deposuit: Dialog. 3. Dubitantij Coloniæ 60. Et nos oculati huius testes sumus. Audiuimus huius sectæ Sartorem Scripturas sacras crepantem: vidimus rusticum easdem legẽtem: & tamen neuter vllo Magistro fuerat vsus, anno 60. Coloniæ.

9 Quis verò dubitare potest ab inhabitante maligno Spiritu rẽ hãc proficisci? Neque enim *esca*, vel *potus* sumptus hanc virtutem habet; vt diuinarum Scripturarum scientiam instillat, res per se clara est. Neque Deus est, qui hanc illis doctri-

nam

nam confert: cùm fidei atque Religionis eius sint
hostes, agántque vitam impurissimam. Cùm igi-
tur eandem labore non habeant, nec vllius ho-
minis institutione; à quo, nisi ab inhabitãte habe-
bunt Spiritu? & Spiritu Nequam?

Præterea quæ causa est, vt mox, postquam ad 10
Catholicorum castra redierint, ne verbum illo-
rum, quæ antea nouerant; teneant? nesciãt etiam
legere, qui prius, quando in hæresi degebant,
cum quibusuis legendo poterant certare? Scilicet
tum ipsos Dæmon deserit: tum se relinquentes,
sibi relinquit:

Hinc est, vt non immeritò in suspicionem qui- 11
dam veniant, vt putent non Anabaptistas pro-
priè esse, qui *per se* loquantur Scripturas; sed Dę-
mones in Anabaptistis loqui; quemadmodum,
dum Obsessi peregrinum idioma sonãt; non ipsi; 12
sed Dæmones sunt, qui voces & sonos formant.

Sed forsitan, quia barbara, in Anabaptistis his,
signa, cruciatus, quos alij Obsessi patiuntur, qui-
dam non obseruant, in Obsessorum loco ipsos
non habent. At non necesse est, vt hæc signa *om-
nes* edant: non necesse, vt *omnes* tormenta à Spi-
ritibus patiantur: etiam illi, qui omnium opinio-
ne Obsessi sunt; in suis quandoque cruciatibus
respirant, & à tormentis sunt liberi. Etiam in illo-
rum quibusdam vix vllæ obseruatæ sunt mole-
stiæ. In horum numero puella fuit, quam S. Ger-
manus curauit. Hanc enim solùm templi aditu
prohibebat Dæmon: & proditus versipellis non
fuisset, nisi adductæ ad se S. Germanus manum
imposuisset: & impostor, edito clamore, sibi vim
inferri clamasset. Vide Fortunatum Episcopum

Picta

Pictauorum vita S. Germani, Cap, 27.

Qui hanc sententiam fuerint complexi, *nouum*
13 *quoddam Obsessorum hominum genus* constituent, quod ab aliis, quos *communiter* Obsessos dicimus his rationibus differret. Primò, Illi plerumque inuiti Diabolum recipiunt, atque sæpe in peccati pœnam: hi eundem vltro admittunt, cùm maxima Dei offensa. Secundò illi ferè cruciatus patiuntur à Dæmonibus hi à cruciatibus sunt prorsus liberi. Tertiò, Hi, quamuis à Dæmonibus obsessi; non tamen sibi videntur Obsessi, quin imò se felices arbitrantur illi miseriam suam deplorant, & ad commiserandum sibi, elios excitant. Quartò, Illorum opera, quæ in speciem peccata sunt, verè peccata non sunt: horum verè peccata sunt, & Deum offendunt. Quintò, potest in hos Magistratus iure animaduertere, & pœnas exigere: illos non potest. Sextò, ab illis Dæmones Exorcismis pelluntur, hos relinquunt, quando ad Catholicorum castra redeunt, & dignos pœnitentiæ fructus edunt.

14 Et profectò, si diligentiùs omnia perspiciantur, omninò tale genus Obsessorum constituere oportebit: non solùm propter iam dictos Anabaptistas: verùm etiam propter eos, quorum præcedenti capite facta est mentio, Diuinatores: in quibus, quamuis communia illa, quæ in aliis Obsessis argumenta, & torturæ non inueniantur, Dæmones tamen inhabitasse, extra omnem est controuersiam.

CA

CAP. XXII.

De signis duodecim, quæ non sunt certa, & indubitata argumenta, latentium in hominibus. Dæmoniorum.

EX numero Obsessorum excludimus *Catechumenos, Maleficos, Sagas, Diuinatores, & Hæreticos*: de quibus maior, quàm de aliquibus aliis potuit esse suspicio: restat nunc quæramus, *quænam signa sint*, vnde Obsessi deprehendantur. Hoc est alterum huius secundæ partis Caput. 1

Reiiciemus hoc loco primùm illa, quæ vera Obsessorum signa non sunt: quamuis vera à quibusdam habeantur: tum deinde quæ verè Dæmones in hominibus esse probant, assignabimus. 2

In priori genere primum signum est *Confessio* quorundam, qui omninò sibi persuadent, se Obsessos esse: &, vt à Dæmonibus liberentur, etiam vltro se ad plagas, & virgas offerũt. Persuasio hæc non facit, vt Obsessus quis dici debeat: quemadmodum nec Rex habetur, qui omninò persuasus est se Regem esse. Multos persuasio decepit. Infinita fanaticorum hominum id docent exempla. 3

Nec *vita quantumuis improba*, certum argumentum est Obsessi hominis. Multos reperias, etiam in grauissimis criminibus, qui non magis, quàm qui inculpatè viuunt, Obsessi dicẽdi sunt: quamuis in hos summam; in illos nullam potestatem Dæmones habeant.

Sunt qui ex *feris, & agrestibus moribus* putant colligi posse Dęmones in humanis operib. latere. Verùm nęc hi sunt sine errore. Quamuis enim 4

quan

quandoque in Obſeſſis inueniantur; non tamen quotieſcunque inueniuntur, produnt Obſeſſos. Quàm barbari, & agreſtes fuerunt mores Regum quorundam Turcarum? an idcirco à Dæmonibus obſeſſos fuiſſe dicemus?

6 Grauis quoque; atque *diuturnus ſomnus*; morbi præterea *nulla medicorum arte curabiles*: *internorũ etiam viſcerum dolores*, certa hîc argumenta non ſunt. Alias illa, quàm in hominibus latentes Dæmones, poſſunt habere cauſas. Poſſunt viribus naturæ: poſſunt arte Maleficorum: poſſunt opera aſſiſtentium Dæmonum procurari.

7 Peſſima quorundam hominum eſt conſuetudo, vt *in ore ſemper Dæmonem habeãt.* Et fortè hos quis Obſeſſor dixerit; propterea, quòd alicubi dicatur: *Ex abundantia cordis os loquitur.* Sed tamen quamuis haud procul à talibus Dæmones abſint (quemadmodum exemplo egregio alicubi docet B. Gregorius) non tamen neceſſe eſt Obſeſſos dicamus. Non omnes qui malè agunt, à Dæmonibus poſſidentur.

8 Similiter à Dæmonibus obſeſſi non ſunt, qui *relicto vero Deo, ſe totos, quanti quanti ſunt, Dæmonibus conſecrãt*: eorum mãdatis in omnibus, etiam fœdiſſimis & crudeliſſimis, rebus parent. Sagarum iſta & Maleficorum officia ſunt, quos inter Obſeſſos numerandos non eſſe, ſuperius demonſtratum eſt, Cap. 19.

9 Reperiuntur, qui *nullo loco ſunt tuti*, vbique ſe moleſtãtes Spiritus, quandoq; etiam crudeliter in corpora ſæuientes, experiuntur: an fortè hi Obſeſſi dicendi ſunt? Non ſunt. Eſto non minus graues, imò grauiores etiam quãdoq;, quàm Obſeſſi

patiantur

patiantur moleſtias? illæ tamen non ab inhabitantibus, ſed aſſiſtentibus Spiritibus afferuntur.

Et qui præſentis vitæ pertæſi *crudeles ſibi manus* 10
afferunt;& ſe vitæ huius vſura priuant, ad Obſeſſorum ordinem non neceſſariò pertinent. Si pertinerent, non illis ipſa, quam ſibi inferunt, mors vitiò verteretur: non graues eius nomine in futura vita luerent pœnas: tribueretur mors Dæmonibus: nulla ipſorum hic culpa eſſet. Iam verò & mors ipſis tribuitur: & grauiſſimos, meritò, in futura vita ſuſtinent cruciatus.

An, qui *inuocatorum à ſe Dæmonum præſentiam* 11
percupiunt;& ſibi, vt ab iiſdem abripiantur, imprecantur, *moxquè abripiuntur*; ab ijs, à quibus abripiuntur, poſſidentur? Poſſent, haud dubium, tales Diaboli obſidere; veruntamen non ſemper obſident. Non opus eſt, vt corpora ingrediantur, ſi illa aliò debeant transferre: Sed nec ingredi deſiderare credendum eſt illa, quæ mox relinquere oportet.

Furia fortaſſis latentis in homine Dæmonis ar- 12
gumentum eſt? Eſt aliquando: ſed non ſemper. Furia non à Dæmonibus ſolùm excitatur: cauſas quandoque in homine habet naturales: quandoque etiam opera perditorum hominum, adlaborantibus Diabolis, procuratur: denique & herbarum quarundam fit virtute.

An *obliuio rerum cognitarum*? Dæmonum ope- 13
ra quandoque hæc affertur: verùm etiam extra homines exiſtentes Spiritus huius poſſunt eſſe autores. Sed & hæc cauſas quoque poteſt habere naturales.

14 Quid quòd nec *occultorum reuelatio* satis magnum hîc argumentum præbeat? Diuinatores occulta reuelant: sed tamen non à Dæmonibus possidentur omnes. Verùm de hoc aliâs, cap. 20.

15 Addo, quòd nec ipsa signa, quæ in Obsessis ijs reperiũtur, quorum Euangelica historia meminit, certa & sufficientia sint Obsessorum hominum argumenta. Fuerunt quidam illorum cæci: alij surdi: alij muti: quidam in se, quidam iñ alios fuerunt crudeles. Obsessorum illa videbantur opera: at Obsessorum non erant signa, nisi fortè omnes cæcos, mutos, & surdos: omnes item barbaros, & crudeles homines ad Obsessorum classem reuocare velimus.

CAPVT XXIII.

Quæ & qualis Occultorum Reuelatio prodat latentes in heminibus Dæmones.

1 POST hæc, vera signa, ex quibus, *Vtrum à Dæmonibus homines obsessi sunt*, deprehenditur, assignanda sunt, *Duplicia* autem hæc esse videntur. Alia enim sunt, quibus Spiritus *agere* videntur: alia quibus quippiã *pati*. Priora sunt, vel intellectus; vel corporis: Posteriora, vt plurimum rebus sacris extorquentur. Intellectus sunt Reuelatio occultorum, & Scientia linguarum: Corporis magnæ vires, grauiora tormenta, atque his similia. Sacræ res sunt, Euangelium S. Ioannis: Sanctorum Reliquiæ: Exorcismi: &c Discutiamus singula.

2 Primum locum obtinet *Occultorum Reuelatio*; quæ hominum, qui ea reuelant scientiam latent. Cùm enim hac à mente, siue Spiritu suggeri necesse

cesse; sit à priuato hominis spiritu non est: & si Deus, atque bonus Angelus huius causa non sunt; necesse omninò est à malo Spiritu ipsam proficisci.

Occulta hæc *duplicis sunt generis*. Quædam latent quidem ipsos, qui reuelant; sed tamen talia non sunt, vt nullo modo ab ijsdem possint cognosci: quædam sunt, quæ impossibile est humano ingenio, & viribus assequi. 3

Priora tribus temporum differentiis continentur. Nam aut præterita sunt; vt res gestæ: aut præsentia; quæ tamen ob locorum distantiam homines nequeunt scire: aut futura; quæ totum esse, quod habent, in suis causis habent. Posteriora sunt, quæ ex hominum pendent voluntate, & libero arbitrio. 4

In his omnib. Dæmones multa, quæ vel homines non cognoscunt; vel non possunt cognoscere, norunt optimè. Norunt res gestas ab orbe condito. Norunt, quæ modò in remotissimis à nobis regionibus geruntur; quamuis hîc nobis sint præsentes. Norunt, quæ post plurima tempora euenient. 5

Norunt quoque plurima, quæ à voluntate & libero pendent arbitrio; & homines cognoscere, propemodum est impossibile. Et quid mirum? Cùm enim illa voluntatis nostræ sit conditio, vt affectus sequatur corporis; moueatur etiam obiectis bonis; & ad naturæ pondus se accommodet sæpe, non nouum est, si Dæmones quæ à voluntate pendent norint; cùm & hominum affectus probè cognoscant; & sciant, quæ menti obiecta sint, bona; & singulorum propensiones longa experientia obseruarint. 6

7 Occulta igitur hæc, ſi per homines reuelentur; hoc eſt, ſi referantur res geſtæ: ſi manifeſtentur futura: ſi, quæ in remotiſſimis fiunt regionibus, ſignificentur: ſi hominum ſtudia & conatus occulti pateſiant: omnino oportet dicamus Spiritus alicuius hîc operam adeſſe.

8 Veruntamen non neceſſe eſt *ſemper* à malis Spiritibus hæc perfici; aut ijs, qui in hominibus, per quos hæc reuelantur, ſuas ſedes habent. Poſſunt hæc à bonis Spiritibus reuelari: poſſunt reuelari à malis; & quidem ijs, qui in hominibus nullum habent locum. Non minor, ſi non maior, eſt bonorum Angelorũ, quàm malorum hîc ſolertia, & ſagacitas; non minor cognitio. Quidquid poſſunt mali; poſſunt boni. Et mali, quemadmodum nec boni, non ad vnam aliquam, qua hæc faciunt legem aſtricti ſunt.

9 Prophetæ homines fuerunt, reuelârunt ſecreta; nunc præterita, nunc præſentia, nunc futura: qualiacunque tandem illa fuerunt; ſiue humanam cognitionẽ omnino excederent, ſiue humana cognitio ad illa pertingere potuerit, dictante Spiritu hæc reuelârunt? Quo verò? Nequam. Nequaquam *Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt Sancti Dei homines*, inquit D. Petrus.

10 Quando igitur *hæc prauos Spiritus produnt*? Quando nulla honeſta, vt hæc reuelentur, ſubeſt cauſa. Quando etiam quæ reuelantur, nunc in Dei cedunt contumeliam, nunc in proximi iniuriam, quæ vt cauent diligenter boni Spiritus; ita ſtudiosè quærunt Spiritus Nequam.

11 Quòd ſi interdum in hac Occultorum Reuelatione, Dei honôrem, aut proximi commodũ quærere

rere videtur. Dęmones (vt exemplũ puellę, quæ B. Paulũ tanquã veri Dei, & salutis præconẽ proclamauit, insinuat) profectò non tã hæc illis proposita sunt: quàm vt specie boni illudant, & fallant.

A malis igitur Spiritibus hæc fient, si absit ratio honestatis: si ad Dei contumeliam, aut proximi iniuriam cedat Reuelatio. Veruntamen non mox necesse est ab *inhabitantibus* Spiritibus fieri. A familiaribus, quos habent quidam, hæc accipere possunt, & in homines spargere. 12

Quod verò ab inhabitantibus, & homines obsidentib. fiãt, ex *duobus* videtur rectè colligi. Primũ est, si qui hæc reuelant, nullũ cum Dęmonibus pactum habeant. Alterum, si in iisdẽ signa obseruata sint alia: quæ quòd à Dæmonibus obsideantur, insinuent. Talia plerunq; sunt interni cruciatus, vagi motus, proximis, & sibi allata detrimenta, &c. 13

Et certè hac ratione plurimi innotuerunt, quidam, etiam iam aliis signis proditi de se certiora dederunt indicia, sed maximè illi; qui vel se non, nisi per Sanctos homines, eiiciendos dixerunt: vel Sanctorum hominũ præsentiam ferre non potuerunt: de quibus tamen Obsessi nihil scire potuerunt. In horum genere fuit, qui Gordiani Imperatoris filiã obsidebat; & non, nisi per S. Triphonem, se eiiciendum affirmabat: de quo Metaphrastes 1. Februarij: Item ille, qui per Artemiam filiam Diocletiani Imperatoris, & per Iobiam filiam Saporis Imperatoris Persarum, vnum clamabat esse Cyriacum, cui cedere cogeretur, apud Surium in Vita eius, Tom. quarto: & Ille qui Romæ cedere noluit ad imperium S. Benedicti, sed ad Remigium Rhemensem Episcopum, quasi, appellauit; 14

cuius in Vita Remigij meminit Hincmarus: Ille etiam, cuius tyrannidem describit Marcellinus, cap. 20. in Vita S. Svviberti; qui cùm à Paganis vrgeretur, vt discederet; tum se discessurum affirmabat; quando Svvibertus, VVerdensis Episcopus, exitum imperaret: præterea Ille, qui cùm Turonum ingrederetur S. Genouefa, per Obsessum cœpit clamare, gemino se incendio torqueri: de quo Surius, Tom. 1. Denique Ille, qui Aredo, Sancto viro animam agente, per Obsessum clamare cœpit & dicere: *Currite ciues: exilite populi, exite obuiam Martyribus, Confessoribusque, qui ad exequium B. Aredij conueniunt.* de quo vide Turonensem, lib. 10. Franc. Histo. cap. 29.

15 Eadem Occultorum Reuelatio prodidit Spiritum Treuiris. de quo Gregorius Turonensis, lib. 8. Histor. cap. 13. & post eum Cæsar Baronius, Tom. 7. ann. Domini 588. Res sic se habet. Cùm Theodorum Massiliensem Episcopum (quem Guntheranus Rex captiuum adducere cupiebat) Treuiros venisse intellexisset, Magnericus Treuirorum Episcopus, ad Templum S. Maximini se contulit; pro fratris Episcopi libertate Deum precaturus. Et ecce, mox eidem ab oratione surgenti Dæmoniaca occurrit, hisce verbis aures eius diuerberans: *O sceleste, & inueterate dierum: pro inimico nostro Theodoro orationem ad Deum fundis? Nos quotidie laboramus, & quibus rationibus eum Gallia pellamus, solliciti sumus, & Tu eundem in Gallia seruare contendis?*

CAP.

CAPVT XXIV.

SCientia etiam *peregrinorum Idiomatum, & linguarum notitia* latentes in hominibus Spiritus produnt. Et meritò Res clara erit, si tria constituantur. *Primum* est, fieri naturaliter non posse; vt quam quis ignorat, vtatur lingua, aut idiomate. Alterum, Nullum idioma esse, quod ignorent, aut mox scire non valeant Dæmones. Tertiũ, Omnem actionem, quæ in hominibus obseruatur, causam aliquam, à qua fiat, habere. 1

2 De *primo* nulla controuersia est. Communis hîc omnium est sensus & consensus. Hunc confirmat magnus, quem in addiscendis linguis suscipimus, labor: Vt taceatur inter beneficia, quæ singulari Dei munere Apostolis olim collata sunt, numerari donum linguarum.

3 Sic nec dubium est *idiomata omnia nosse Dæmones*. Discant illa homines consuetudine eorum, cum quibus viuunt: quid ni igitur Dæmones discerent, qui semper inter homines versantur? obseruant quæ loquuntur? notant, quæ agunt?

4 Certissimum quoque est, *omnem: quæ in hominibus deprehenditur, actionem causam aliquam habere*. Cùm enim actio affectus & opus sit agentis: agens autem in numero causarum constituatur, fieri nequit, vt aliqua, cuius nulla causa dari possit, detur actio.

5 Ab aliquo igitur est sermo peregrinus in hominibus, qui illum sonant. At à quo? Omnino à spiritu siue mente. Quid ita? quia sermo omnis, eius quod in mẽte, siue spiritu latet, nũtius est: Quaprop-

ter prorſus neceſſarium eſt,vt, ſicut fumus ignem, ita mentem prodat & ſpiritum ſermo.

6 A quo verò ſpiritu erit? profectò non ab humano. Homo non eſt,qui peregrinum format ſermonem. Quod non didicit,non loquitur homo: Peregrinum ſermonem non didicit, Peregrinum ergo ſermonem non loquitur. Hoc ſuperiùs conſtitutum fuit.

7 A Spiritu igitur *externo* eſt? Omnino eſt,& quidem Angelo,vel bono,vel malo. Angeli, vt cætera hominis membra; ita poſſunt impellere linguam , ita partes omnes , quæ ad vocem formandam ſunt neceſſariæ.

8 Verùm quemadmodum ſuperiùs,Cap. 23. demonſtratum eſt ; ex fine bonos & malos Spiritus deprehendi, & diſtingui in Occultorum Reuelatione;ita hîc finis eſt,qui loquentes peregrina lingua in hominibus Spiritus prodit.

9 Loquebantur olim variis linguis Apoſtoli: ſed diuino Spiritu inſtructi. quia ſic Chriſti regnum propagandum erat,& amplificandum: ſic Gentes ad Chriſti fidem conuertendæ. Non hoc propoſitum eſt,in Obſeſſis,malis Spiritibus,propriã gloriam, cum Dei iniuria, & hominum interitu quærunt verſipelles.

10 Eſt & hîc diſcrimen. Non poterant vlla externa vi cogi Apoſtoli, vt variis linguis loquerentur: Cogi poſſunt, & coguntur haud rarò, ab Exorciſtis, Obſeſſi, ſeu potius latentes in ipſis Dæmones, vt etiam inuiti loquantur.

11 Sed & Apoſtoli linguas , quibus loquebantur, reuera norunt : intelligebant etiam ſignificationes vocum. Loquuntur varijs linguis Dæmoniaci

niaci; ſed nec linguas norunt; nec, quid vocibus ſignificetur, intelligunt.

Hoc ſigno noſtris temporibus ſæpius Dæmones deprehendũtur. Deprehenſus eſt eodem olim ille; qui Canditatum quendam Conſtantij Imperatoris poſſedit. quamuis enim Candidatus Francam tantùm, & Latinam noſſet: tamen B. Hilarioni Syro, quo ipſum rogabat, ſermone reſpondebat: & quidem ita perfecto, teſte Hieronymo, vt nõ ſtridor, non aſpiratio, non idioma aliquod Palæſtini deeſſet eloquij. Hiero. in Vita Hilarionis. Sic deprehenſus & ille, qui in muliere Mediolanenſi, ad S. Bernardum adducta, latebat, quæ nunc Italica, nunc Ibera lingua loquebatur. Vide c. 4. li. 2. Vitæ S. Bernardi. Et Noberto Præmonſtratenſi apud Ningellam verbum Dei prædicante, & puellam Dæmoniacam coram adductam exorcizãte: Dæmon, irridens, Cantica Canticorum à principio vſque ad finem per os puellæ edidit: & ad verbum, in Romana: deinde in Teutonica lingua interpretatus eſt. Ita Sigebertus circa annũ Domini 1122. 12

Quocirca audiendus non eſt Leuinus Lemnius: qui lib. 2. cap. 2. de Occultis naturæ, docet Melancholicos & phreneticos ex frequentiſſima humorum ebullitione, & vehementi ſpirituum exagitatione poſſe variis linguis loqui: quamuis ante earum nullam norint. Quomodo, quæſo, in ore eſt, quod non fuit in mente? Et in mente quomodo erit, quod non aliquando fuit in ſenſu? 13

Ad hoc Idiomatum ſignum referuntur, quæ cũ ipſo magnam habent affinitatem. Primum eſt, *Scientia legendi*, nullo ſtudio comparata. Quemadmodum Linguarum cognitio ſine ſtudio non ha- 14

betur;ita nec legendi Scientia:quocirca vt illa,ita quoque hæc inhabitantes Dæmones prodit.

15 Alterum est, sine studio atque labore parta, *Scientia scribendi.* Eadem huius, atque præcedentium duorum ratio est; quocirca non errant, qui hinc Obsessos homines definiunt.

16 Tertium est, *Cognitio rerum naturalium*, nec propria inuentione comparata; nec ab vllo magistro accepta. Sicut peritia linguarum:ita Scientia rerũ naturalium, operam nostram, studium atque diligentiam requirit: quæ si desint, non sine ratione ipsa Dæmones authores habere putatur.

17 Quartum est, *Peritia cantandi* in eo, qui cãtum non addidicit. Cum hac fortè non malè coniunxerim *Arithmeticam:* cùm magnam inter se coniunctionem habeant. Neutra hæc hominibus cõgenita est, qua propter si in hominibus inueniantur, nullo præcedente studio: & nec Deum, nec bonos Angelos authores habeant; opera latentiũ in hominibus malorũ Spirituũ æstimari possent.

CAP. XXV.

De sex generibus corporalium signorum, quæ quamuis non omnino prodant latentes in hominibus Spiritus: magnas tamen suspiciones generant.

1 IN hominum *corporibus etiam signa quædam sunt,* ex quibus latentes Spiritus deprehenduntur. Quanquam enim priora illa Spiritibus magis propria sint: in corporibus tamen aliquãdo quædam efficiunt, quæ vix alios, quàm Dæmones, authores habere possunt.

In

In his primum eſt, *barbaræ & inconditæ voces:* 2
clamores item,& vlulatus prorſus belluini. Quẽadmodum enim,quos certò Obſeſſos eſſe ſcimus, has voces,clamores & vlulatus ſcimus edidiſſe:ita ex his in ſuſpicionem latentium Dæmonum non ſine ratione venimus. Sic ex latratu deprehẽſi,ſunt vtriuſque ſexus multi eſſe Obſeſſi in Alexandria: quorum meminit Sigebertus circa annum Domini 517.ſui Chron.

Alterum eſſe poteſt *horribilis & truculentus vultus*,quem qui de Dæmonio ſuſpecti ſunt, referũt. 3
Quales enim ipſi ſunt Dæmones:tales formas plerũque affingunt.Quocirca cùm truces ſint & crudeles:vultum humanum ita interdum deformant, vt ſummum intuentibus horrorem incutiat.Talis vultus prodidit Dæmonem,latentem in muliere, cuius Capite 46.mentionem faciemus: & quem ſanctiſſimus Bernardus eiecit. Siquidem ita miſeræ vultum deformabat , vt monſtro, non homini eſſet ſimilis. Huc referrem os ſpumans , & ſtridorem dentium,quæ Spiritum prodiderunt,à S.Laurentio Iuſtiniano , Venetorum Patriarcha, profligatum,de quo Bernardus Iuſtinianus , in Laurentij Iuſtiniani Vita,cap.8.

Sit tertium,*membrorum*,vt ita dicam ,*ſtupor quidam & functionum ferè omnium vitalium priuatio, atque perpetua quædam q.ſomnolentia.* Quẽadmodũ 4
aliquando ſe furia , atque nimia corporis agitatione;ita interdum hac contraria tarditate, & ſtupore Spiritus manifeſtant.Et muti ferè atque ſurdi ſunt Spiritus,qui hoc ſigno deprehenduntur. Potuit & ille deprehendi , qui puellam quandam templo prohibebat,de quo Theſ. 5.cap.ſequentis.

Ad hæc accedit *summa inquietudo*, qualis eorum est, qui vno aliquo loco nequeunt consistere: & solitudines quærunt: & desertis locis delectantur. Neque enim pauci, etiam nostris temporibus, inueniuntur, quos his modis Dæmones exercent. Exercuerunt autem olim illos, quorum Euangelista Matthæus, cap. octauo, meminit, qui sæui nimis vias obsidebant, transeuntibus molesti erant.

6 Potest his quintum addi: *vires*, scilicet in *corpore humano non humana*. Tales sunt eorū, qui quasuis lacerant vestes: vincula disrumpunt, frangunt catenas, onera item ad quæ hominum robur non sufficit, gestant. Vix hæc minorem, quàm quæ superioribus Capitibus allata sunt, obsessi hominis fidem faciunt.

Ad has vires refero agilitatem, & currendi pernicitatem, humanas vires superantem. Talis indicauit Spiritum mulieris cuiusdam Mediolanensis vetulæ, quæ ad S. Bernardum adducta, scamnum, in quo ille sedebat transilijt, addidit quoque se quoscunque equos cursu æquare posse, eórúmque dorsa sine adminiculo transilire. Vide c. quarto, lib. 2. Vitæ Bernardi.

Refero & robur illius, qui à Nicetio Treuirensi Episcopo iussus ex templo extrahi, columnam ita validè apprehendit, vt loco moueri non potuerit, etiam à decem viris. Historiam vide cap. 32. Thesi vltima.

Refero voracitatem illius, cuius in Historia Sāctorum Patrum, Sect. XIII. meminit Theodoretus, qui quamuis in die triginta gallinas comederet, *appetitionem tamen*, vt ipse loquitur, *non poterat extinguere satietate*, & post à S. Macedonio aqua

benedi

benedicta curatus, parua aliqua gallinæ particula, fuit contentus. Tanta, si non maior fuit voracitas, cuius Palladius mentionem facit in Vita Abbatis Macarij, Sect. 17. qui trium modiorum panes comedere solebat, & eosdem mox eructans resoluebat in vaporem: sæpe etiam, si panes deessent, comedebat sua excrementa, & lotium bibebat, &c.

Denique *persecutiones, cruciatus atque tormenta,* 7
quæ quidam patiuntur magnum hic argumentum faciunt, vt si, verbi causa, nunc in ignem deiiciantur homines; nunc in aquam: nunc ex alto loco agantur præcipites: nunc se cultris lacerent, nunc laqueo atque aliis rationibus vitam sibi adimere conentur. Huius generis Obsessum sacra Scriptura proponit, Marci 9. 8

Hæc atque his similia signa à Dæmonibus *excitari posse* dubium non est: Paret illis ad nutum, vt in scholis loquimur, materia corporalis, cùm igitur in materia corporali hæc fiant omnia: opera Dæmonum fieri non temerè creditur.

Veruntamen omnino *certa,* & *indubitata hæc* 6
signa non sunt. Quoniam non Dæmones tantùm, verùm etiam, præter Dæmones, alios authores & causas habere possunt: quemadmodum de plerisque Cap. vigesimo secundo demonstratum est: & sequentibus aliquot exemplis docemus in signis, quorum Thesi 6 & 3. mentionem fecimus.

In Maximino Imperatore: qui Alexandro Mãmeæ filio successit, tantum virium fuit, vt equum pugno percussum, nudaret dentibus: & maiusculas arbores diuideret manibus. C. Iunius tanti fuit roboris, vt carpenta vna manu comprehensa, obnixus contineret, iumentis contra nitentibus.

Celeri

Celeritatis summæ fuit puer nouem annorum, Romæ, Coss. Fonterio & Vipsano; quoniam à meridie ad vesperam, perpetuo cursu, conficiebat octoginta millia passuum. Sic Romæ sub Cæsaribus inter spectacula populo exhibita productus est, qui per aduersum parietem felis modo reptãdo scanderet. Hi quamuis magnarum virium: summi roboris, & celeritatis atque agilitatis stupendæ fuerint: non tamen pro Obsessis habiti sunt.

Nec habiti sunt, qui ob edacitatem atque ingluuiem celebres facti sunt; scilicet, supradictus Maximinus Imperator, qui quadraginta libras carnis vno die esitabat (alij 60. scribunt) potabátque vini amphoram, adeò vbertim sudante corpore, vt calice sudor colligeretur; impleueritque vno die collectus sudor tres sextarios. Hæc Sabellicus Tom. 4. Exemplorum libro 2. cap. 9. & 10.

Sic truculentus vultus & facies diabolica nõ semper obsidentem Dæmonem indicat, vt 3. Thesis docet: vehementi imaginatione matris concipientis quis eundem potest habere, aliáve de causa. Quidam Buscoducensis (teste VVairo, de Incantationibus, lib. 1. cap. 12.) nondum deposita Cacodæmonis persona, quam in fabula paulo ante adumbrauerat, vxorem suam cognouit, & illa grauida facta, talem postea partum edidit, qualem ipsa maritum personatum conspexerat.

Narrat Petrus Mess. part. 2. variarum lectionum, cap. 7. de Cippo quodam Rege, quòd inter dormiendum è fronte nata sint illi cornua, cùm commissos interdiu tauros, somnians altius animo agitasset. Similia de aliis signis dici possunt,

quocir

quocirca id dictum. *Certa atque omninò indubitata hæc ſigna eſſe..* 10

Si tamen non ex infirmitate, aliáve cauſa naturali; aut triſtitia aliqua, profecta eſſe cõſtaret; nec hominum quorundam nocendi libidine allata: multa quoque ex iis concurrerent: denique accederent illorum pleraque, quorum Capitibus præcedentibus mentio facta eſt, haud leue argumentum ſubminiſtrabunt.

Capvt xxvi.

De ſignis, quæ ad Rerum Sacrarum vſum in Dæmoniacis obſeruantur, & latentes in ipſis Spiritus produnt.

PRæter ſigna, quæ Dæmonum quaſi *actiones* ſunt, de quibus hactenus, alia inueniuntur, quæ ipſos ex eo produnt, quòd ad verba quædam prolata, aut res aliquas adhibitas *pati* videantur: & ij, qui Obſeſſi ſunt, trepident, concutiantur, in voces prorumpant, & omnino ſibi vim inferri, magnis argumentis demonſtrent. 1

Ad hæc ſigna elicienda, quamuis ſint, qui res quaſdam profanas valere velint; nos tamen *Sacras* vtiliùs & rectiùs adhiberi credimus: de quibus etiam hoc Capite. 2

Sacrarum autem rerum hic duplex eſt vſus. Nunc Obſeſſi quædam iubentur proferre: nunc quædam ipſis ſilentibus adhibentur. Prioris generis ſunt Inuocatio diuini nominis, aut alicuius Sãctorum Dei: Nominis Ieſu prolatio: Pſalmi, aut alicuius pię orationis recitatio. Si enim hęc facere recuſent, de Dæmonio, nõ ſine cauſa ſuſpecti ſunt. 3

Poſte

Poſterioris generis ſunt,ſi concutiantur, terreantur, impatientes fiant, blaſphement, poſtquam Sanctorum ipſis adhibitæ Reliquiæ: aut admotæ cereæ imagines, quas Agnus Dei dicimus: aut Crux frõti fuerit impreſſa:aut Aqua luſtrali aſperſi:aut ſanctiſſimum Chriſti corpus, in Euchariſtiæ Sacramento,exhibitum: aut etiam in aurem ipſorum,peregrina,quam non norunt,lingua,inſuſurratum fuerit illud:*Deũ,qui te genuit,dereliquiſti: & oblitus es Domini Creatoris tui:* Denique,ſi exorciſmos intentatos, vel non ferant, vel impatienter ferant.

4 His & ſimilibus ſignis. Dæmones prodi dubium nullum eſt.Exemplum huius in vita S. Bernardi legitur,lib.2.cap.3. apud Surium, Tom. 4. fol.800.Adducebat Pater filium, puerum adhuc, ad S.Virum, ſignificans grauiter ipſum torqueri, quotieſcunque vel Eccleſiam ingrederetur: vel Aqua conſecrata aſpergeretur:vel Cruce ſignaretur:vel Euangelium audire compelleretur: vel diuinis cogeretur adeſſe Sacramentis. Aſtabat tum fortè viro Sancto F.Gerardus. Hic volens experiri eius,quod à Patre dicebatur, veritatem: occultè obſeſſum filium, in dorſo, ſigno Crucis ſignat. Quid verò? Mox puer infremuit; & latens Dæmon proditus eſt.

Idem confirmat, quod refertur de Hugone. Linconienſi Epiſcopo,in eius Vita,apud Surium, Tomo 6 videlicet, quod ex Obſeſſo Spiritum eiecerit, recitando initium Euangelij ſancti Ioannis.

Pro hac re exemplum aliud ſuppeditat B.Cyprianus,Sermone de Lapſis,quod ipſius verbis hic adſcri

adſcribimus. Præſente, ac teſte me, inquit, accipite, quid euenerit. Parentes forte fugientes (*perſecutionem intellige*) dum trepidi minus conſulunt, ſub nutricis alimento paruulam filiam reliquerunt. Relictam nutrix ad Magiſtrum detulit. Illic ei ad Idolum, quo populus confluebat (quòd carnem necdum edere poſſet per ætatem) panem mero mixtum (quod tamē & ipſum de immolatione pereūtium ſuperat) tradiderunt. Recepit filiam poſtmodum mater: ſed facinus puella commiſſum tam loqui & indicare non potuit: quàm nec intelligere priùs potuit, nec arcere Ignoratione igitur obreptum eſt, vt ſacrificantibus nobis eam ſecum mater inferret. Sed enim puella mixta cum Sanctis, precis noſtræ & orationis impatiens; nunc ploratu cōcuti, nunc mentis æſtu fluctu abunda iactari, velut torrente cogente, quib, poterat indicijs, conſcientiam facti in ſimplicib. adhuc annis rudis anima fatebatur. Vbi verò ſolemnibus adimpletis, calicem diaconus offerre præſentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus eius aduenit, faciem ſuam paruula inſtinctu diuinæ majeſtatis auertere, os labijs obturantibus premere, calicem recuſare: Perſtitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de ſacramento Calicis infudit: Tunc ſequitur ſingultus & vomitus. In corpore & ore violato, Euchariſtia permanere non potuit. Hactenus Cyprianus. Lege item Bedam lib. 3. cap. 11. Hiſtor.

Ad hoc genus rerum Sacrarum refero *contactum ſanctorum hominum*. Talis fuit S. Germani, Epiſc. Pariſienſis; ad quem adducta puella, de qua, vtrum Obſeſſa eſſet, dubitabatur. (Obſeſſā eſſe, erat ſuſpitio: Propterea quod templum ingredi non 5

valeret) nam adductæ ad se vbi manum imposuit: confestim latens Spiritus se prodidit. ita Fortunatus, Pictauorum Episc. in Vita ipsius. Refero præterea sanctorum hominum præsentiam, pro quo vide cap. 39. præsentis Disputat.

6 Sed & his atque similibus signis Dæmones prodi constabit, si doctum fuerit. *Hæc ipsis inuisa & molesta esse:* & præterea. *Non posse fieri, vt aut exhorrescat Christianus homo. vbi hæc adhibentur; aut difficilem se præbeat;* si vt ipsis religiose vtatur; vel orationes quasdam recitet, imperatur.

7 Et quidem Dæmones illa non ferre certum est. Neque enim solùm trepidant ad has machinas ipsis admotas; verùm etiam (quod inuiti admodum faciunt) quandoque sedes suas relinquunt, & se grauiter torqueri, haud obscuris argumẽtis significant. Pulchrum huius exemplum refert Rupertus Tuitiensis, in Vita S. Heberti, Coloniensis Episcopi. Accidit Dæmoniacum quendam per varia Sanctorum loca, recuperandæ pristinæ incolumitatis causa circumduci: sed frustra. Tandem ad S. Herebertum venitur. Hic eum iubet adesse supplicationi, quæ in palmarum Domini solemni ritu apud Catholicos, peragitur. In hac eum Antiphona de Christi triumpho contra Diabolum cantatur, Dæmoniacus clamare atque vociferari. Iubet Antiphonam repeti Antistes: sed repetitam non ferens Spiritus, obsessum reliquit hominem. Verùm de hoc argumento cap. 44. & sequentibus.

8 Vt verò homines horreant, quis credat? Horrrebit forsitan Christianus homo, si Psalmum Miserere; vel dicat, vel dici audiat? Si orationem recitet Dominicam, vel quamcunque aliam? piam tamen? Si

Si videat aut tangat sanctorum Reliquias? Si ipso præsente legantur Exorcismi? Si Diabolo obiiciatur, quod Deum creatorem suum reliquerit?

Reperiantur hoc tempore tam deploratæ salutis Mortales, vt ex iam dictis quædam ferre nolint, putentque esse superstitiosa; quis tam est perditus, vt non ferat Dæmonib. improperari, quod *Deum creatorem suum reliquerunt?* Cùm igitur ad hanc orationem exhorrescant Obsessi: cùm hanc adhibentes mendacij arguant; quis dubitabit, quin trepidatio, &, quæ mox audiuntur, blasphemiæ, latentes Dæmones prodant? 9

Non leue dixerim hoc ab his *Signis* petitum argumentum. forsitan etiam tale, quod cùm quibussuis alijs conferri compararíue valeat. In alijs enim qui Dæmones sunt, qui agunt: possunt illa, quæ in corporibus fiunt, dici non ab inhabitantibus, sed assistentib. Spiritibus fieri: hîc quia patiuntur; omnino in ipsis corporibus residere dici videtur debere, in quibus, quòd patiantur, signis quibusdam demonstrant. 10

Porrò, quemadmodum signa hæc Dæmones produnt, ita Dæmonum non hominum, in quib. ipsa notantur & obseruantur, sunt opera. Dæmones sunt, qui in hos tremores & trepidationes excitant. Dæmones, qui vociferantur, & vlulatus edũt. Dæmones, qui in aurem insusurrantes sacra verba, mendacij arguunt. Obsessi nihil hîc, nisi membra, sua, inuiti, & quandoque ignorantes, accommodant. Et hactenus de Signis. 11

Et hactenus quidem de his signis, ex quibus, vt plurimùm Dęmones deprehenduntur. Non negauerim interim Sanctis quibusdã hominib. aliunde 12

obsidentes Dæmones innotescere: & imprimis *diuina reuelatione*. De S. Parthenio refert Metaphrastes 7. Februarij, quod cùm quidam ipsum transeundo salutasset, salutantem non resalutarit, idcirco, quòd in eodem occultum cognosceret latere Spiritum. Quare alia, nisi *diuinitus sibi facta reuelatione?* Sic rogatus aliquando Theodorus Archimandrita, vt Principis cuiusdam filiam, quæ 28. annis ex graui morbo decumbebat, iuuaret, malum primùm dixit (diuinitus scilicet institutus) à latente cacodæmone allatum: deinde sanitatem profligato Spiritu restituit. Testis huius est Georgius presbyter in eius Vita apud Surium Tom. 2. Forsitan & sanctissimus Paulus hac ratione agnouit Spiritum, in puella, cuius B. Lucas meminit; Neque enim sola confessio eius, qua Apostolum Apostolique socium, *Dei seruos: qui viam salutis annunciarent*, confitebatur, sufficiens signum Spiritus obsidentis esse potuit: & Apostolum potuit latere, quòd eadem *quæstum magnum suis dominis diuinando fecerit*. Lege cap. 16. Actuum Apostolorum.

CAPVT XXVII.

De Obsessorum hominum misera conditione, ob mala, quæ Dæmones partim corporibus, partim animabus afferunt.

1 MIseros esse homines, qui à Spiritibus Nequam obsidentur, dubium non est. *Vnde* miseria hæc sit, siue accidat, inquirendum est. In priori enim omnes consentiunt, qui vel sciunt, quid sit homines

mines esse obsessos: vel aliquando Obsessos viderunt. Quis vnquam fuit, qui Obsessis non condoluit? ipsorum non misertus? Hinc non immeritò Dominus cuidam, quem à legione immundorum Spirituum liberauerat, præcepit, vt ad suos reuersus *narraret, quanta ipsi Deus fecisset*; quando à miseria, quam Spiritus Nequam afferebant, absoluit, Lucæ 8.

Miseria vero ex *duorum altero* semper est: *Ex malis*, quæ hominibus afferuntur: *bonis*, quibus priuantur. Vbi vel nullum affertur malum: vel nullius boni iactura fit quamuis sibi *miseri* quidam videantur, reuera tamen *miseri* non sunt. 2

Nunc quoniam *reuera miseri* sunt Dæmoniaci, videndum est, vtrum vel mala patiantur, vel bonorum faciant iacturam, vel simul cum bonorum iactura, aduersa & mala sustineant. 3

Nec opus multis. *Mala* Obsessis afferri certum est *Bonis* ipsos priuari certum est: duobus igitur nominibus sunt *miseri*. 4

Verùm, quoniam & *malum* multiplex est: & *bonorum* varia sunt genera: quot & quibus *bonis* miseros homines priuant Dæmones? Quot etiam, & quæ *mala* sunt, quæ adportant? Hoc secundū priùs discutiamus: postea alterum persequemur. 5

Mala igitur vel corporum sunt, vel animarum. quæ & quanta Dæmones corporibus afferant, superiùs demonstratum est Capite sexto. dicamus igitur, quibus rebus incommodent *animabus*: siue quæ ipsis mala inferant. 6

Et quidam duplicia afferri fortassis dixerint, qui mores atq; studia Obsessorū diligenter expendent. Vnum erit internus animi dolor: qui ex tanta, 7

quan tam Obſeſſi perpetiuntur, miſeriā inpercipituralterum diuina offenſa, quam peccando Obſeſſi videntur incurrere.

8 Ita forſitan quidam. Sed tamen, *vtrunque* hoc malum Obſeſſis Dæmones non afferunt. Eſto cauſa ſint doloris, & triſtitiæ, quam non paruam, ex tanta ſua miſeria homines percipiunt: ſed tamen *diuinam offenſam hominibus conciliant*. propterea, quod hominibus, vt peccent, cauſa non ſint: nec hominibus peccatum vllo modo poſſit aſcribi, quod in ipſis reſidentes operantur Dæmones.

9 Non negamus hoc loco, plurima peccata per Obſeſſos committi. Nunquid audimus blaſphemias? detractiones? conuitia? calumnias? Nunquid videmus mortem aliquibus interdum afferri? vulnera infligi? An forte hæc non peccata? Vtique Diuinam quoque hæc iram prouocant: ſed quamuis per Obſeſſos: non tamen ab Obſeſſis committūtur.

10 Hæc omnia Dæmonum ſunt opera. Quapropter non miſeris Obſeſſis: ſed infelicibus Dæmonibus tribuenda, quemadmodum alias tribuimus ijſdem Reuelationem occultorum, Sermonem ignotum, Linguam peregrinam, Membrorum tremorem, atque his ſimilia.

11 Vnum eſt, quod Obſeſſorum dicere poſſumus, quod, ſcilicet, ipſorum membris atque corporibus Nequam Spiritus vtantur: lingua ad formandam vocem: ore ad euomendas blaſphemias: manu ad mortem & vulnera afferenda, &c.

12 Sed tamen, nec tum ita membris hominum illi, quemadmodum ijſdem ipſi homines vtuntur. Dum ſuis vtuntur homines, actiones verè mēbris poſſunt tribui. ipſi illa ad agēdum mouent: & verè

mem

membra agunt. Dum ijs in Obſeſſis vtuntur Spiritus, nec propriè ijs operationes poſſunt tribui: nec verè ipſa ſunt, quæ agunt membra: ſed aguntur potius, & impelluntur ab inhabitantibus Dæmonibus.

Hæc cauſa eſt, vt *peccatum hominum non ſit*, quodcunque tandem hîc committitur: ſed nec hominibus vitio vertatur, aut dedecori, qualecunq; etiam flagitium committitur: quemadmodum vitio non datur ſecuri, quod illa latro ad homines trucidandos vtatur. 13

Hæc cauſa eſt, vt *ad reſarcienda damna non teneantur Obſeſſi*: ſi quæ per illos allata ſunt. Sicuti nõ ipſi ſunt qui peccant: ita nec ipſi damna afferunt, aut corporibus, aut fortunis. Quod ſi qui ad damnorũ reſtitutionẽ, eorũ quę per Obſeſſos afferũtur: illi tenentur, ad quos Obſeſſorum cura, quouis modo, ſpectabit; & quorum negligentia (quam cauere poterant, & debebant) damna allata ſunt. 14

Hæc deniq; cauſa eſt, cur *de Obſeſſis ſupplicia non ſumantur*, quamuis maxima per ipſos committantur flagitia. An fortè iuſta ſunt ibi ſupplicia, vbi nulla delicta? Si pro quantitate delictorum quantitas debet eſſe ſuppliciorum; nulla erant ſupplicia, vbi nulla (quòd hîc accidit) ſunt delicta. 15

16 Porrò quamuis à peccatis Obſeſſos liberemus non liberamus tamen ab *omnibus*. Quædam ſunt, quæ ipſi committunt, à quibus non minus, quàm non Obſeſſi, ſunt excuſandi. Talia ſunt, quæ & per ipſos, & ab ipſis fiunt, & propria ipſorum voluntate perpetrantur.

Neque enim ſemper moleſti ſunt Obſeſſis Dę- 17

mones. Quandoque sibi relinquűtur, & molestias nullas patiuntur. Tunc quemadmodum possunt apud Deum mereri bene, ita & diuinam iram proprijs peccatis prouocare possunt.

18 Ex auctore igitur operum peccata Dæmonum & Obsessorum distinguenda sunt. Si Dæmones habent auctores, Dæmonum sunt: non hominum peccata. At hominum sunt, non Dæmonum, quorum ipsi homines causa existunt.

19 Errant igitur plurimum, qui quæcunque ab Obsessis hominibus flagitia fieri conspiciunt, illa mox ipsis Obsessis tribuunt, hincque Obsessorum miseriam metiuntur. Quàm esset misera ipsorum cõditio, si quæcunque per Obsessos fiunt, ipsorum culpa fiunt? Quomodo Deum à peccato excusabimus, qui iustissimas ob causas Mortales huic miseriæ, vt à Dæmonibus possideantur, sæpè subiicit.

Et sancti quidam viri, Deoque charissimi inueniuntur, qui Dæmonum carnificinam, in suorum peccatorum vindictam, à Deo postularunt: an fortè etiam postularunt, vt Deum peccatis offenderẽt & hæc illis pro peccatorum expiatione exercitatio & vexatio tribueretur; quàm sine Dei grauissima offensa sustinere non esset possibile?

20 Errant quoque, qui omnia, quæ per Obsessos fiunt Dæmonibus obsidentibus tribuunt, omnibus censent veniam dandam. Non omnia Dæmonibus tribuenda. Non omnibus venia danda. Pleraque contriti cordis significatione, sacramentali confessione, dignisque pœnitentiæ fructibus sunt expianda.

21 Errant, qui culpas ipsas partiuntur, partimque censent Dæmonibus, partim Obsessis tribuendas.

das. Quamuis fortè in aliquibus partitio hæc locum habere possit: nō tamen habet in omnibus. Quædam totæ Dæmonibus sunt tribuendæ: quædam Obsessis totæ.

Dictis addendum est, quod quamuis peccatorum Dęmones in Obsessis hominibus causa non sint, nec vllam per se culpam ipsis afficiant, ad peccata tamen multum eosdem possint promouere, & impellere. Nec mirum. Si possunt, quos non possident, quidni poterunt, quos possident? 22

Quot verò impellunt ex iis, quos non possident? Id Christi satis superque docet oratio; dum *Principes huius mūdi* ipsos vocat. Docet oratio B. Pauli, qui & *Principes vocat potestates aëris*, & operari dicit, *in filios diffidentiæ*. Docet sanctiss. Augustinus, qui appellat *cupiditatum Principes, quibus concupiscitur omne, quod transit*. De agone Christ. cap. 1. 23 Ioan. 12. Ephes. 1.

Et ad quot, quámque diuersa impellunt peccata? Excitant in aliis odium fraternum quoniam, vt Apostolus loquitur: *qui odit fratrem suum, homicida est: & diabolus homicida fuit ab initio*. In aliis studium mētiendi: hinc Diabolus *mendax* dicitur à Domino, *& pater eius*. In aliis libidinem: ob quam causam ab eodem Domino dicitur, *Spiritus immundus*. In aliis superbiam: hinc Dæmon dicitur, *Rex super omnes filios superbiæ*. In aliis auaritiā propter quod de Iuda auaro dicitur; *vnus ex vobis Diabolus est*. In aliis iracundiam: vt ob id optimè admonuerit Apostolus curandum, ne *sol occidat super iracūdiam, ne sit locus datus Diabolo*. In aliis dolum & deceptionem, vt Apostolus indicat, cùm *Elymam Magum* vocat *filium Diaboli*. 24 1. Ioan. 3. Ioan. 1. Luc. 11. Iob 41. Ioan. 6. Ephes. 4. Act. 13.

25 Hæc poſſunt in non Obſeſſos Spiritus. Poterunt eadem in miſeros Obſeſſos. Non minor eſt in hos,vt diximus.quàm in non Obſeſſos, ipſorũ poteſtas. Quid, quod in hos plus poſſe videri debeant? tum quia à pluribus & maioribus bonis poſſeſſos à ſe,impedire valent: tum etiam, quia in vires illas,quas peccando voluntas ſequitur,maiores poſſunt facere impreſſiones.

26 Vtroque enim modo ad peccatum calcar addi,dubium nullum eſt.Priori quidem,quia virtutum officia haud parum impediunt peccata:quapropter dum in his homines impediuntur, ad vitia quaſi incitantur.Poſteriori verò,quia arduum eſt,& difficile volũtati, vt aliã ingrediatur viam, quàm ad quam apparentis,boni ſpecie,aut appetitus atque affectuum impulſu inuitatur.

27 Iam verò dictis rationib. in Obſeſſos plurimũ poſſunt Dæmones. Poſſunt in virtuũ ſtudio impedire. poſſunt in illas facultates, ad quas ſe voluntas accommodat, magnos impetus facere. Prius illud ſequẽti capite demonſtrabitur: poſteriùs intelligit,qui eas meminerit Dæmonum eſſe vires, & ſpecie apparentis boni poſſint facultates,quas *Cognoſcitiuas* dicimus, dementare; & mirabiles in corpore atque appetitus facultatibus motus ciere.

28 *Tribus* igitur *modis* ad peccata Obſeſſos promouebunt Dæmones. Vno indirectè; duobus directè. Indirectè, dum à bonis vel auocant, vel impediunt.Directè,primò, dum ſpecie fallacis boni inuitant: deinde dum,vt voluntatem ad peccandum inclinent, potentias inferiores appetitiuas, & prauos in homine motus in ſubſidiũ aſſumũt.

Sed

Sed tamen ita promouent, vt ſuam voluntati 29
libertatem nunquam demant: nullam etiam eidem neceſſitatem imponãt. Valeant viribus Impoſtores quàm maximis; tantis non valent, vt hominũ voluntates, quò delectat, poſſint impellere.

Et quamuis maximas ex omni parte machinas adhibeant: plena tamen eſt libertas volũtati: non ea tantum ratione, quod cogi non poſſit: ſed etiam, quod conatibus Dæmonum valeat nó aſſentiri: valeat ſe opponere: valeat ſuperior eſſe: valeat contraria virtutum ſtudia exercere.

Hinc ſequitur ex hac Dæmonum vexatione 30
Dæmoniacos poſſe quæſtum facere. Quomodo vero? ſi in potentibus Dæmonum conatibus reſiſtant; & dum ad peccata vrgentur, in peccata non conſentiant. Hic, vt difficilior victoria; ita ſpecioſior triumphus, & merces copioſior. Atque hoc de *malis*, quæ per Spiritus Nequam Obſeſſis hominibus afferuntur, dictum ſit. Nunc quibus *bonis* per eoſdem priuantur, videamus.

CAPVT XXVIII.

De Obſeſſorum miſera conditione, ob bona, quibus per Dæmones priuantur.

QVamuis *bonorũ* genera multa ſunt, de quibus tamen præſentis Capitis inquiſitio eſt, 1
ad duo prima poſſunt reuocari. Quædam enim ſunt futuræ vitæ, quædam præſentis. Futuræ vitæ ſunt gaudia regni cælorum; huius, quæcunque ad futuræ illius vitæ conducunt.

Poſte

2 Posteriora in hoc triplici sunt ordine. Primò sũt habitus Theologici, *Spiritus S.* dona atque imprimis fides, secundò sunt exercitia virtutum, quæ bona opera dicimus. tertiò, est vsus Sacramentorum, præcipuè verò, sacrosanctissimæ Eucharist.

3 De his quæstio est. Quæritur, *Vtrum hu omnib. Obsessos homines priuent Spiritus*: ita scilicet, vt ad vitam æternam aditus ipsis sit præclusus: orbentur Christiana fide: non possint quidquam boni, quod illis cõducat ad vitam æternam: Non etiam sint admittendi ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, atque alia Christianæ religionis mysteria. Quod res est, breuiter definimus.

4 *Spe vitæ æternæ non priuant Dæmones dæmoniacos.* Non idcirco, quia aliquis Obsessus est, à regno cælorum est exclusus. Assertioni facilè credunt, qui regni illius norunt illas esse leges, vt nullum repellat, nisi quem cõscientia peccati alicuius lethalis grauat: à quo cum liberi esse possint ij, quos Dæmones inhabitant; omninò credendum est, non iis aditum ad cælum esse præclusum.

5 *Fide Obsessos priuat* Daniel Tossanus Professor Heydelbergensis (Epist. ad Petrum Thyreum) sed *malè.* Si saluari non possunt, qui fide carent (*sine fide enim impoßibile est placere Deo*) saluari autem possunt Dæmoniaci, dum ex hac vita discedunt; quomodo dici potest, ipsos carere fide?

6 Et quid est, quod fide priuat? An Spirituũ tanta est in homines potestas; vt & corpora, quæ ingrediuntur possint vexare; & mentem suo decore, atque lumine spoliare? Possint quiduis in corpus; in animam possunt nihil. Solus Deus est, qui in animas quemadmodum & Spiritus omnes,

plenum

plenum absolutúmque habent imperium.

Quæ fidei, eadem *aliorum habituum*, qui in anima sunt, ratio est. vt non fide; ita nec iis priuare possunt Dęmones. Quod si quando horum iacturam Obsessi faciunt, propriis hoc ipsorum sit demeritis; non vi atque efficacitate Spirituum.

In *virtutum exercitio* quoque eadem Obsessorum, atque non Obsessorum conditio est. Non peccant semper non Obsessi. Nec peccāt semper Obsessi. Possunt tam hi, quàm illi virtutum Theologicarum, atque Moralium exercere officia. Possunt actus edere, quibus diuinam sibi misericordiam concilient; quibus gratiam augeant; quibus gloriam eiúsque augmentum acquirant: prout conditio status eorum, à quibus opera hæc proficiscuntur, permittit.

An fortè ab Altaris Sacramento arcendi sunt Dæmoniaci? Non sunt. Patrum pro ipsis est sententia. Eis, inquit, Cassianus, teste D. Thoma 3. p. q. 80. ar. 9. qui ab immundis vexantur Spiritibus, Communionem sacrosanctam, à senioribus nostris nūquam inuenimus interdictam. Hîc locum habet, quod in Arausicano Concilio habetur, canone 3. Amentibus quæcunque pietatis officia conferenda sunt 26. 46. cap. Qui recedunt. Nec deest hîc exemplum Virginis, quæ, porrecta Eucharistia, etiam à malo, quod Dæmon afferebat, est liberata. Ascribimus illud hic ad longum ex Prospero Aquitanico: quia pluribus locis in hac Disputatione seruire potest. Nostris, inquit, temporibus Asparo V. C. Consule Carthagini constituto, hoc signum diabolicum menstruosumq; quod illic accidit, quis ignorat? Quædam iuuen- 9

cula

cula, Araba natione, ancillæ Dei habitum gestãs, cùm in balneo lauans, simulachrum quoddã Veneris impudicè respiceret, & seipsam; eiq; se consimilans, domicilium se Diabolo præbuit. Statim ille Leo, qui rugiens circuit, quam quærebat inuenit. Meatus igitur gutturis ipsius occupãs, nullum cibum, nullum potum, traiiciens, per septuaginta fermè dies, totidémque noctes ieiunium sibi Diabolus ex capto possessóque vase exhibuit. Hoc monstrum parentes puellæ per tot dierum spacia auferri posse sperantes: dum iuge malum vlterius tolerare non possunt; simul cum filia se ingesserunt Sacerdoti: quæ acta erant fideliter indicantes. Hoc tantùm puella fatebatur, auem quandam noctis medio comparere, quæ sibi ore, nescio, quid infunderet. Stupor tunc inerat cunctis videre puellam nullis indiciis diurni ieiunij fœdatam: nullo pallore seu tabe, vel debilitate confectam; quin potius robustam succo viscerũ, mole membrorum. Cumque incredibilia viderentur, quæ dicebantur: habito consilio in monasterio puellarum, in quo Reliquiæ S. Stephani sitæ sunt, sacerdos puellam simul & Præposito cõmendauit. Illic prima tãtùm die apparuisse illam auem asseruit, sibíque increpasse, quò neque fame, neque siti compulsa illum appeteret locum, quò sibi accedere non liceret: Per duas sanè hebdomadas nihil cibi vel poculi sumens in monasterio mansit: Accidit autem, vt quintus decimus Dominicus illucesceret dies, ascendente nobiscũ sacerdote, vt matutinum illuc Sacrificium solito offerretur. Puellã Præpositus ad altare perduxit; eo incessu & habitu, quo solent rubore perfusæ

ex

ex epulis poculíſque mulieres aduenire. Sed vt ſe illa proſtrauit altari, clamore fletus ſui cunctis aſtantibus gemitus lachrymáſque induxit, quib. tantum offerendum malum præſens plebs Dominum exorabat: erat enim iam indecens murmur in populo. Peracto igitur Sacrificio, cùm eadem inter cæteras breuem particulam corporis Domini tinctam à Sacerdote perciperet, ſemihora mandens traiicere non valuit, nondum illo fugato, de quo Apoſtolus dicit (1.Cor.10.) Quæ conſonantia Chriſti ad Belial? & iterum (2.Cor. 6.) Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum. Manu igitur faciem eius ſuſtentante Sacerdote, ne Sãctum proiiceret: à quodam Diacono ſuggeſtum eſt, vt Calicem ſalutarem gutturi eius Pontifex applicaret. Quid factum eſt? Statim locum illum, quem Diabolus obſederat: Saluatoris imperio reliquit: Sacramẽtum, quod ore geſtabat, cũ laude Redemptoris trãſglutiuiſſe puella clamauit. Hinc lætitia: hinc voces in gloriam Dei, quod poſt octoginta & duos dies diabolo expulſo, puella de poteſtate fuerit eruta inimici. Hactenus Proſper, de Promiſſis & Prædicationibus Dei dimidio Tempor. Capite ſexto.

Aliorum mẽtionem facit Caſſianus, iam à nobis citatus, & Collat.7.cap.30. cùm oſtẽdiſſet ſacram Communionem Obſeſſis non negandam, ſic loquitur: Hoc namque modo (porrecta ſcilicet Euchariſtia) curatum & Abbatem Andronicum nuper aſpeximus, alióſque quàm plures. Sacroſancta Communio, inquit ibidem, ad purgationem ac tutelam corporis animæq; prouenire

credenda

credenda eſt: quæ ab homine percepta eum qui in membris eius inſidet Spiritum, ſeu in ipſis latitare conatur, velut quodam exurẽs fugat incendio. Ibidem oſtẽdit obeſſe Obſeſſis dilatam Communionem. Magis namque magis, inquit, inimicus inſultabit offenſo, cùm enim à cæleſti medicina viderit ſegregatum: tantóque durius ac frequentius attentabit: quanto eum à Spirituali remedio longius ſenſerit abdicatum, Ita Caſſianus.

9 Verùm quamuis obſeſſis Communionem ſacram porrigi poſſe dicamus: non dicamus tâmen *omnibus* porrigẽdam; ſed nec *quouis tẽpore*, quibus alioqui permitti poteſt, porrigendam. Obſeſſorũ quidam ſunt, quos ab ineunte ætate Dæmones poſſederunt, & moleſtare nunquam deſierũt, qui præter externam hominis formã, vix quidquam hominis habent: hos quia à beſtiis non multùm dixerimus differre, à Communione cenſemus arcendos. Adultorum eſt hic cibus. Poſtulat; vt nullus, niſi probatus, accedat. quòd cùm in Obſeſſis deſideretur: non indicamus ad Dominicã menſam illos admittendos.

10 Sunt alij, qui tantas moleſtias à Spiritibus non patiuntur: ſed quandoque requiem habent; ſibi interdum relinquuntur, ſibi ſunt præſentes. Hi, quia hunc cibum ab alio valent diſcernere; & ad eundem ſe cum reuerentia ſuſcipiendum præparare, libere poſſunt ad ipſum, cum fructu, percipiendum accedere: veruntamen tunc temporis, quando Dæmones moleſti non ſunt, nec vlla Sacramento irreuerentia timetur. Hinc Timotheus Alexandrinus in ſuis Reſp. capit. 3. dicit Obſeſſos cõmunicandos eſſe, *non ſingulis diebus, ſed ſtatis temporibus.*

Quocirca quòd Dionyſius Areop. cap. 3. de Eccleſ. Hier. dicit *Energumenis non dandum hoc Sacramentum*; de non baptizatis intelligendum eſt ex ſententia S. Tho. 3. p. q. 80. a. 9. ad 2. Et quod Can. 39. Concilij Elibertini habetur. *Energumeni, qui ab erratico Spiritu exagitatur, nec nomen quidem ad altare cum oblatione eſſe recitandum*, accipiendum eſt de eo, qui propter publica ſcelera, publicè etiam à Dæmonibus vexatur, & ab Eccleſia excommunicatur; iuxta illud D. Pauli Corinth. 5. *Iudicaui tradere huiuſmodi Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini.* ita Soarez ad ar. 9. q. 80. 3. p. S. Thomæ.

Minor eſt de *aliis Sacramentis* difficultas. Si de 12
peccatis commiſſis dolere poſſunt; ſi facere propoſitum melioris vitæ: ſi coram Sacerdote facere peccatorum confeſſionem; quidni abſolutionis beneficium, in Pœnitentiæ Sacramento percipient.

Sic, ſi *baptizati* nondum ſunt Obſeſſi; poſſunt 13
baptizari: præſertim, ſi, dum ſibi præſentes fuerunt, Sacramentum Baptiſmi petiuerunt. Poſſunt quoque baptizari, etſi baptiſmum nunquam petiuerunt; modò Chriſtianis parentibus nati ſint, & ratione tãtùm nunquam valuerunt, vt Baptiſmum petere potuerint. Si Chriſtianorum infantibus Baptiſmus conferri poteſt, his non poteſt?

Ex dictis ſequitur Conditionẽ Obſeſſorum non 14
eſſe omniũ miſerrimã. Multi ſunt, qui; quãuis non videantur, multò tamen ſunt Obſeſſis miſeriores.

Deterior eſt Conditio *Infidelium*; ſiue illi Hæ- 15
retici ſint, ſiue Pagani, ſiue Iudæi. Deſtituti ſunt hi ſummo maximeque neceſſario bono, fide, quo *ſine*

impossibile est placere Deo: hoc Obsessi destituti non sunt.

16 Deterior quoque eorum conditio est, *qui in peccatis sunt letbalibus*. Nullum hi ad vitam æternam ius habent. Omne, quod habuerunt, per peccatum amiserũt. Hoc priuati non sunt Obsessi. Possunt Dei gratia esse instructi, atque, vt filij Dei, hac ratione castigari, absque vlla salutis æternæ, & humanæ felicitatis iactura. Vide Cassianum collat. *7*. cap. *25*.

17 Deterior etiam est eorum, *qui per Ecclesiasticam Censuram à Christi corpore seiuncti sunt*; non idcirco solùm; quia ad Sacramenta percipienda non admittuntur; quæ Obsessis negata non sunt; verùm etiã, quia bonorum, quæ in Christi Ecclesia omnibus fidelibus communia sunt, fructu priuantur, & in salutis discrimine, nisi ad Christi Ecclesiam redeant, versantur; quæ in Obsessos non cadunt.

18 Parua igitur, vel nulla, est Obsessorum miseria, dicit aliquis, si ex *bonorum* iactura, quam Obsessi faciunt, illa peti debet. Quid ita? quoniam hactenus demonstratum est, & nullo *bonorum* triplicium quæ posuimus, ipsos priuari; & præterea multò meliorem esse conditionem Obsessorum, quàm aliorum aliquorum; quos tamen nos omnino infelices iudicamus.

19 Esto, sint alij Obsessis infeliciores; sed tamen non idcirco ipsorum nulla miseria. Etsi minor sit, aliqualis tamen est. Non etiam Obsessos priuant Dæmones ijs *bonis*, quorum meminimus; priuant tamen *bonis*, & priuant *multiplicibus*.

20 Duplicia, præcedenti Capite, mala distinximus, Corporis & Animæ: distinguimus jam *duplicia*

cia bona: nam & Corporis quædam ſunt, & quædam Animæ. Si Dæmones animæ bonis non priuant; profectò *Corporis* priuant. Res clara eſt eorum exemplis, quos Obſeſſos accipimus.

Sed & in *Animæ* bonis miſeri detrimenta patiuntur: & quidem illis ipſis, de quibus initio præſentis Capitis quæſtio fuit inſtituta. quod qua ratione fiat ſequentibus demonſtramus. 21

Non eſt adempta *Spes vitæ æternæ* per Dæmones Obſeſſis: ita ſuperius Theſi 4. Sed tamen, qui propter grauia crimina ipſi ſibi cauſa fuerunt, vt hanc Dæmonum carnificinam ſuſtineant; & iuſto Dei iudicio Spiritibus Nequam relinquuntur; nec tantum ſpacij à vexatione liberum habent, vt ad ſe aliquando redeant; & de commiſſis peccatis pœnitentiam agant; in præſentiſſimo ſalutis diſcrimine verſantur. 22

Fide non priuant Obſeſſos Dæmones. ita Theſi 5. Veruntamen quoſdam ne ad fidem animum adiiciant, impediunt: alios etiam, qui fide inſtructi ſunt, ne fidei actus, cum ſuo emolumento, eliciant, retardant. 23

Quæ fidei, eadem eſt *aliorum habituum* ratio. Nam quibus impedimento Dæmones ſunt, ne fidem Chriſtianam complectantur; illos quoque, ne reliquos, qui vel fidem ſequuntur, vel cum fide coniuncti ſunt, habitus obtineant, impediunt. Et quemadmodum quoſdam retardant, ne fidei actus exerceant; ita reliquarum virtutum qualeſcunque etiam illæ ſint. 24

Quod igitur diximus, Theſ. 7. *in virtutum exercitio* Obſeſſorum & nō Obſeſſorū eandē conditionem eſſe; ea ratione dictum eſt, ne hoc ipſo, quia

Obsessi sunt, hominibus virtutũ officia interdicta crederentur. quoniam, nõ quicunque Obsessi sunt, à virtutum schola sunt exclusi, quamuis magna detrimenta persæpe patiantur.

25 Quid, quòd præcipua *bonorum* iactura, quam patiuntur Dæmoniaci, ex *virtutum officiis* petatur? Norunt qui in Catholica religione probè instituti sunt, haud parua ad animas lucra ex virtutum studio prouenire, Norunt magnam messem in animarum horrea inuehi, per Iustitiæ Christianæ officia. Quando igitur ab his Dæmoniacos Dæmones auocant; quando in his impediunt, vel retardant; magnis bonis mortales, Dæmonum malitia, priuari negari non potest.

26 Sed fortè virtutum studia non valent impedire Spiritus. Quidni valerent? Valent optimè, & valent non vno, sed multis modis. Nã *principio* multa sunt, quæ non nisi corporum ministerio exercentur. hæc, quoniam corpora in sua potestate habent Dæmones, ipsorum opera & posse impediri, & frequenter impediri, extra omnem controuersiam est. *Deinde*, mentem præsentem eadem postulant, &, vt cum ratione atque iudicio fiant, requirunt. At mens, cum ad phantasmata (in quæ haud parum possunt Spiritus) in suis operationibus recursũ habere debeat; tã facilè perturbabitur, & impedietur; quã est facilè à Spiritibus hominis phantasiam perturbari. Requirunt *tertiò* operam voluntatis, sine qua nihil prorsus in homine rectè peragitur. An in hanc quidem per se nihil possunt Dæmones: sed tamen, quia ipsa in corpore est; corporis commodis iuuatur, & detrimentis retardatur. quapropter, qua ratione corporibus incommodant

modant Spiritus, eadem voluntatem impediunt.

Ex dictis perspicuum est quæ in tertio bonorum genere, *Sacramētorum* inquam *vsu*, detrimenta Dæmoniaci capere possunt. Cùm enim hæc, vt plurimùm, sint vel actus virtutum; vel cum virtutibus coniūcta; eadem in Sacramentorum vsu detrimenta patientur Dæmoniaci; quæ in ipsis sentiunt virtutum officiis. Hæc de *bonis*, quibus Obsessi priuantur. 27

CAPVT. XXIX.

An semper suæ miseriæ & tyrannidis, quam patiuntur, Obsessi à Dæmonibus, sint causa.

1 DE causa, ob quam homines à Dæmonibus obsidentur, quæstio est; atque, *Vtrum ipsimet suorum malorum authores sint*, in controuersiam vocatur, quanquam propriè non tam hoc, quàm Vtrum *semper* authores sint, quæritur: & si non semper ipsi; quibusnam causis ipsorum miseria adscribenda sit.

2 Vnum igitur est, quod hoc loco quasi ponitur; alterum, quod in controuersiam vocatur: tertium, quod se vltro quasi insinuat, & responsionem postulat. Ponitur Obsessos quandoque malorum suorum esse causam. Quæritur, An etiam sine suo merito hæc aliquando patiantur. Ad hæc accedit, vt, quoniam sine Dei prouidentia hîc nihil fit, explicemus, quantū consequi possumus, eiusdem prouidentiæ causas, quando absque vlla sua culpa mortales Dæmonum tyrannidem patiuntur.

3 *Hypothesis* certa est. Constat frequentissimè ac-
1. Corint. 5. cidere, vt *propter peccata sua Dæmonum carnificinam*
1. Tim. 4. *sustineant homines*. Tradidit *Sathanæ Corinthium* quendam D. Paulus, propterea quòd incæstum commisisset. Idem Paulus *Satanæ tradidit* Hymenæum & Alexandrum, ob blasphemias.

4 De Maria Magdalena testatur historia Euan-
Marc. vlti. gelica, pluribus locis, Dominum *septem Dæmonia*
Ians. c. 54. eiecisse: & quamuis disertis verbis causam nō aperiat, ob quam fuerit Obsessa: peccatis tamen suis id ipsam meruisse, insinuat, dum *peccatricem* compellat: vt de Patrum sententia hìc nihil.

5 Non obscurè idē docet Christi Oratio; quando his verbis Dæmonum studium explicat: Cùm immundus Spiritus exierit ab homine, perambulat per loca inaquosa, quærens requiem: & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et cùm venerit, inuenit scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem Spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi. Cur redit in domum Spiritus, vnde exiuit? Quia quam in locis aridis non inuenit; in illa inuenit requiem. At requies illi summa est, in impiorum cordibus. ibi igitur sedes figet; ibi habitaculum eliget.

6 Sententia B. Hieronymi est (In Danielem) atque Epiphanij (In Vita Dan.) Assyriorum Regem Nabuchodonosor à Dæmonibus obsessum fuisse. Nec displicet sententia. quoniā non parua Obsessi hominis exhibuit signa. Quis verò potest dubitare hoc malum peccatis eius accidisse? Si non id consiliū Danielis, *eleemosynas* suadentis; profectò probat, quæ in auribus eius insonuit, oratio: *Tibi dici-*

tur

tur Nabuchodonoſor Rex: Regnum tranſibit à te, & ab hominibus eiicient te: & cum beſtiis feris erit habitatio tua: fænum, quaſi bos, comedes: & ſeptem tempora mutabuntur ſuper te: donec ſcias quòd dominetur Excelſus in regno hominum, & cuicunque voluerit, det illud. 7

Si Saul Regem Obſeſſum fuiſſe dicamus, quemadmodum verè Obſeſſum fuiſſe grauiſſimorum authorum eſt ſententia, egregiè noſtram Aſſertionem confirmabit. An non ſua culpa fuit Obſeſſus? Cur enim toties reprehẽditur? cur Regnum, quod humilitate obtinuit, ſuperbia dicitur amiſiſſe.

Profana exempla hìc plura ſunt. Sufficient ſequentia. A Dæmone correpta eſt Geilana Franconiæ Duciſſa; quòd S. Kilianũ, qui Duci, vt ipſam, (fratris coniugem) dimitteret, perſuadebat, interfici curauerit. Sigibertus circa ann. domini 697. Correptus latro quidam Lõgobardus, ob furtum, quod commiſerat; & quia S. Mennæ piis admonitionibus non acquieſcebat, vt teſtatur B. Gregorius, Lib. 4. Dial. Correptus Gundericus VVandalorum Rex, quando templum, vt illud ſpoliaret, ingreſſus eſt. Et ad preces Eligij Nouiocomenſis, quinquaginta fuerũt Obſeſſi, quòd nefandas quaſdam choreas, impiáſque ſuperſtitiones relinquere noluerint, quãuis vt relinquere grauiùs ab eodem Eligio admonerentur, teſte Audoeno, Rhotomagenſi, lib. 2. cap. 11. in eius Vita. 8

Dictis vnum addimus ex B. Hieronymo, in vita Hilar. &, quia pluribus locis, in hac diſputatione, ſeruit, ipſius Hieronymi verbis: Gazenſis Emporij oppido, *inquit*, Virginem Dei vicinus iuuenis deperibat. Qui cùm frequenter tactu, 9

locis, nucibus ſibilis, & cæteris huiuſmodi, q̄ ſolent morituræ Virginitatis eſſe principia, nihil profeciſſet; perrexit Memphim; vt confeſſo vulnere ſuo, magicis artibus rediret armatus ad Virginem. Igitur poſt annum doctus ab Aeſculapij Vatibus, ſubter limen domus puellæ, tormēta quædam verborum, & portentoſas figuras, ſculptas in æris Cyprij lamina, defodit. Illico inſanire Virgo, & amictu capitis obiecto, rotare crinem, ſtridere dentibus, inclamare nomen adoleſcētis. Magnitudo quippe amoris eā in furorē verterat. Perducta à parentib. ad Monaſterium, Seni (Hilarioni) traditur, vlulante ſtatim, & confitente Dæmone: Vim ſuſtinui, inuitus ſum adductus. Quàm bene Memphis ſomniis homines deludebam? O cruces, O tormenta, quæ patior? Exire me cogis, & ligatus ſubter limen teneor. Non exeo, niſi me Adoleſcēs, qui tenet, dimiſerit. Tunc Senex, Grādis, ait, fortitudo tua; qui lino, & lamina ſtrictus teneris. Dic, Quare auſus es ingredi puellam Dei? Vt ſeruarem, inquit, eam virginem. Tu ſeruares proditor caſtitatis? Cur nō potius in eum, qui mittebat, es ingreſſus? Vt quid, reſpondit; intrarē in eū, qui habebat collegā meum, amoris Dæmonem? Noluit autem Sanctus iubere ſigna perquiri, ne aut ſolutis incantationibus Dæmon receſſiſſe videretur; aut ipſe ſermoni eius accommodaſſe fidem. aſſerens fallaces eſſe Dæmones, & ad ſimulandum callidos, Seuerē autem, reddita ſerenitate, increpuit Virginem, cur feciſſet talia, per quæ Dæmon intrare potuiſſet. ita B. Hieronymus.

10 Egregiè Hypotheſin hæc exempla confirmant. ſed non minus ratio. Quid mirū, ſi per Dæmones, in præ

in præſenti vita, Deus peccata vindicet: quæ per Dæmones, in futura vita eſt vindicaturus?

11 Quid mirum, ſi in homines immittat Spiritus Nequam, qui pœnas, ob malè actam vitam exigant: quando non rarò Spiritus excitauit, vt (quãuis non in hominibus, ſed extra homines poſiti) extrema mala, atque adeò mortem infelicibus afferrẽt? Optimè dictum eſt à Pſalmographo, quòd *mittat indignationem iræ ſuæ, per Angelos malos.*

12 Non vna ratio peccata vindicandi Deo eſt, varias habet. Nunc pugnant pro ipſo elementa & cælum: nunc armat ſæuas beſtias. Vtitur etiam Spiritibus aliquando bonis, aliquando malis. Et quidni? *Nónne pro ipſo pugnaturus eſt totus terrarum orbis?*

13 Hinc bene B. Auguſtinus 4. Ciuit. c. 34. *Dæmones*, inquit, *niſi quos fallendo deceperunt, poſſidere non poſſunt*, & rurſus: *Poteſtas inimica vincit, aut ſubiugat neminem: niſi ſocietate peccati.* lib. 10. de Ciuit. Dei. c. 22. Bene quoque Dæmon, qui Gordiani Imperatoris filiam torquebat, interrogatus à Triphone, viro ſancto: Cur puellam intraſſet, reſpondit: Dæmones in illos habere poteſtatem, qui opera iiſdem grata exercent: qualia ſunt, inquit, cultus ſimulachrorũ, blaſphemiæ, adulteria, veneficia, inuidiæ, cædes, &c. Metaphraſtes in Triphone 1. Februarij.

14 Idem confirmat B. Auguſtin. ad obiectionem, quam ſibi facit: reſponſio: Dicit aliquis, inquit, ſi ligatus eſt Diabolus, vt eſt: quare adhuc tantum præualet: ſed tepidis & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus eſt enim, tanquam canis catenis innexus, & ne-

minem poteſt mordere: niſi eum, qui ſe illi mortifera ſecuritate coniunxerit. Ita B. Auguſtinus, Serm.197.de Tempore. Idem Caſſianus, Coll.7. cap.24. Conſtat, inquit, immundus Spiritus non aliter poſſe in illos, quorum corpora obtēturi ſunt, penetrare: niſi prius eorum mentes cogitationéſque poſſederit. Quos cum timore ac memoria Dei, vel ſpirituali meditatione nudauerint, velut exarmatos omni præſidio, ac munitione diuina nudatos, facilè vincendos audenter inuadunt: domicilium deinceps in iis veluti in poſſeſſione ſibi tradita præſumentes. Ita Caſſianus.

CAP. XXX.

Ob quas ſuas culpas Obſeſſi patiantur tyrannidem Dæmonum.

1 CVlpæ aliæ Lethales ſunt, aliæ Veniales. Illæ diuinam vindictam prouocant: & *Mortales*, quia mortem animæ afferunt, dicuntur: hæ nomē à venia, quam facilè obtinent ſortiuntur. Vtrumque genus varium eſt, & multiplex: prout contingit Deum variis multiſque modis offendere.

2 De his quæritur, *Quænam ſint, quæ Dæmonibus oſtium, vt homines ingrediantur, patefaciunt:* an Lethales tantùm, an etiam Veniales: Et ſi vel alteræ, vel vtræque; *Omnéſne*, illius generis id præſtent: an potius in ſingulis generibus *certæ ſint*, & determinatæ. Res, quia difficultatem non ita magnam habet breuiter expedienda eſt.

3 Certum eſt *ob Lethales homines à Dæmonibus poſſideri.* Docent hoc omnia propemodum ſupe-

rioris

tioris Capitis exempla: tam illa, quæ ſacræ literæ: quàm, quæ prophânæ Hiſtoriæ ſubminiſtrant: quocirca longiori probatione opus non eſt.

Certum quoque Veniales culpas Dæmonibus homines ingrediendi occaſionem præbuiſſe. *Corporaliter traditos Satanæ, inquit Caſſianus*, Coll. 7. ca. 25. vel infirmitatibus magnis, etiam viros ſanctos nouimus, pro leuiſſimis, quibúſque delictis. Fortè hoc probat exemplum puellæ, quòd alias cap. præcedente ex B. Hieronymo adduximus. Fortè etiam alterius, cuius Proſper Aquitanicus meminit; quæ cùm in balneo quoddam Veneris ſimulachrum nimis impudicè intuita eſſet, ſéque eidem aſſimulaſſet; mox à Diabolo obſeſſa eſt; & ita vexata, vt Nequam Spiritus gutturis meatus occuparet, facultatem ſumendi cibum & potum ad ſeptuaginta dies adimeret. Vide cap. 28.

Quod ſi de harum Veniali culpa dubium eſt: 4
certè dubium non eſt de Abbatis Moyſis, & Virginis cuiuſdam monialis: quorum ille, teſte Caſſiano, libr. 7. Coll. cap. 27. poſſeſſus fuit, propter impatientiam, & duriùs prolatum verbum: hæc propter leuiorem gulam, vt habet B. Gregorius libr. 1. Dialog. cap. 4. Sed exempla non noſtris, verùm ipſorum verbis aſcribimus. De Moyſe igitur ſic Caſſianus, Coll. 7. cap. 27. Cùm eſſet, *inquit*, Moyſes ſingularis & incomparabilis vir, ob reprehenſionem vnius ſermonis, quem contra Abbatem Macharium diſputans, paulo durius protulit, quædam ſcilicet opinione præuentus, tam diro confeſtim eſt traditus Spiritui, vt humanas egeſtiones ori ſuo ab eo ſuppletus ingereret. Quod flagellum purgationis

gloria

gloria se Dominus intulisse; ne scilicet in eo vel momentanei delicti macula resideret, velocitate curationis eius, atque aucto remedio demonstrauit. Nam continuo Abbate Machario in oratione submisso, dicto citiùs Nequam Spiritus ab eo fugatus abcessit. Hæc Cassianus.

5 De Virgine sequentia B. Gregorius, 1. Dialog. cap. 4. Quadam die, inquit, vna Dei famula hortum ingressa, quæ lactucam conspiciens concupiuit, eámque signo Crucis benedicere oblita, auide momordit. sed correpta à Diabolo, protinus cecidit. Cúmque vexaretur, eidem P. Equitio sub celeritate nunciatum est, vt veniret concitus, & orando succurreret. Móxque vt hortum idem Pater ingressus est, cæpit ex eius ore, quasi satis faciens, ipse qui hanc arripuerat Diabolus, clamare dicens: Ego quid feci? ego quid feci? Sedebam ibi super lactucam: venit illa & momordit me. Qui cum graui indignatione vir Dei præcepit, vt discederet: & locum in omnipotentis Dei famula non haberet: qui protinus abscessit: nec eam vltra contingere præualuit. Hæc Gregorius.

6 Et quamuis Venialia, leuia peccata sint: & à venia, diximus, quã facilè obtinent, nomen habeant: nulla tamen fit hominibus iniuria, quando etiam hæc propter, Dæmonum carnificinæ traduntur: quoniam quæ comparatione Lethalium leuia sunt: comparata cum pœnis quibuscunque magna sunt, & illas longissimè post se relinquunt.

7 Nec nouum videri debet, quòd ob Venialia carnificinam Dæmonum mortales sustineant: quoniam iustissimo Dei iudicio fit, vt etiam, absque vllo suo demerito, quidam eandem subeant.

Verùm

Verùm quoniam hoc argumentum pluribus indiget, ſequenti Capite explicandum eſt.

Nunc quoniam diximus multiplices eſſe, tam Veniales, quàm Mortales culpas, *Vtrum certa quædam peccatorum genera ſint, quæ iuſtius Dæmonum patiantur vindictam, & faciliùs ijs aditum patefaciant*, inquiramus. Quid igitur? Quod res eſt, breuiter dicimus. *Certum hic conſtitui poſſe nihil.* Quẽadmodum Veniales, & Mortales culpæ aditum Dæmonibus ad ingrediendum homines patefaciunt: ita quæcunque illæ ſunt, ita Deus permittat, & velit: patefacere poſſunt. 8

Veruntamen non negauerim *quaſdam* eſſe, quæ faciliùs aditum præbeant: vt quas vel Deus iuſtiùs hac ratione vindicare videtur: vel ob quas ipſi Dæmones in homines ingreſſum magis poſſunt affectare & deſiderare. Et quæ illæ?

Prima eſt infidelitas, ſeu *agnitæ veritatis Impugnatio atque abnegatio.* Ita docet ex Cypriano Stapletonus. In Dom.3. Quadra. multos olim à Dæmonibus idcirco obſeſſos fuiſſe, quòd à fide receſſiſſent. Ex Sermone de Lapſis hoc adſcribimus exemplum. *Alia.* inquit, mulier in balneis conſtituta, ab immundo Spiritu immunda correpta, laniauit dentibus linguam, qua fuerat vel paſta impiè, vel locuta. Poſtquam ſceleratus cibus ſumptus eſt, in perniciem ſuam rabies oris armata eſt. Ipſa ſui carnifex extitit, nec diu ſupereſſe poſtmodum potuit: doloribus ventris & viſcerum cruciata, defecit. Hactenus Cyprianus. 9

Sed & pro hoc argumento teſtis hîc eſſe poteſt Nicomachus quidam, de quo Surius Tom. 3. fol. 298. quod poſtquam Chriſtum in tormentis 10

negaſ

negasset,& Idolis sacrificasset: mox ab immundo Spiritu fuerit occupatus: à quo & in terrã proiectus, & miserè dilaniatus. Fuisse quoque Romæ magnam Arreptitiorum multitudinem,quo tempore Paganismus floruit,docet Tertullianus,Apo. cap. 37. Et Nónne dignum, vt in eos Pater mendacij potestatem habeat; qui veritatis Magistrum respuũt? Possideantur à potestatibus tenebrarum: qui in suis cordibus nolunt splendere lumen veritatis?

11 Altera est *Sacrosanctæ Eucharistiæ abusus.* Pro hac ibidẽ afferet exempla Cyprianus: referens & viros,& mulieres à Spiritibus malis obsessos fuisse: quòd sine Confessione, atque Pœnitentia peccatorum,ad mensam Domini accessissent. Fortè cùm his quidam Corinthiorum coniungẽdi sunt, quos infirmatos & morbis subiectos recenset Apostolus, idcirco quòd non probati Sacramentis altaris communicarent.

1. Corint. 11

12 Tertia est *Blasphemia*, Hæc Dæmonibus ostium aperuit, qui Alexandrum & Hymenæum sunt ingressi. Refert quoque Gregorius Turonensis, de Gloria Confessorum,cap. 67. Maurum fuisse, qui cum seruum suum ad Basilicam S. Lupi (apud Tricassinorum Campaniæ vrbem sepultus iacet) fugientem insequeretur, & iam esset assecutus blasphemias euomuerit in S. Lupum: sed exemplo diuinam vltionem senserit. Nam & lingua,qua blasphemias effudit, obriguit, & (vtique à Dæmone possessus) horrendo mugitu totam ædem compleuit,tertiáque die,cum grauissimo cruciatu, vitam finiuit.

Addimus huic aliud, quod ex Cedreno paucis verbis

verbis repetit Cæſar Baronius, Tom. 7. circa annum Chriſti, 630. Eo tempore, inquit, Græci quidam in domo cuiuſdam prandentes, eò prolapſi ſunt; vt in Virginem Deiparam, conuitia & execrationes iacerent. Horum reliqui ilico à malis Spiritibus correpti, pœnas dederũt. Eandem blaſphemiam ex aliis cauſis vnam recenſet Dæmon, qui per Triphonem eſt eiectus: de quo Theſ. 12. c. 29. Certè blaſphemi digni ſunt, vt à Spiritibus Blaſphemiæ occupentur.

13 Quarta eſt *peccatum Superbiæ*, Nónne conuenit, vt qui eſt *Rex ſuper omnes filios Superbiæ*, in ſuperbis *Iob. 14.* ſedem habeat? in ipſos poteſtatem exerceat? Conuenire docet magno ſuo malo ſuperbiſſimus Aſ- *Daniel. 4.* ſyriornm Rex, Nabuchodonoſor, vt alios innumeros prætermittam.

Ad Superbiam referrem, quæ ex illa ſequitur, *Inobedientiam:* quæ & ipſa aditum Dæmonibus præbuit. Teſtis eſt vir profeſſione religioſus: ſed moribus admodum difficilis: quem mox Spiritus Nequam ingreſſus dicitur, poſtquam Popponis Stabulenſis, Abbatis ſui mandatum implere contempſit: quemadmodum in Popponis Vita ſcribit Euerhelmus, Abbas Altimontenſis, cap. 18.

14 Quinta eſt *Luxuria*. Ob hanc Corinthius ab Apoſtolo traditus eſt Satanæ. Fortè ob eandem *1. Cor. 5. Marc. vlt.* ſeptẽ Dęmoniorũ tyrannidẽ paſſa eſt Magdalena. *Tob. 6.* Ob eandẽ, ſi non Obſeſſi, profectò interfecti viri ſeptem, qui Saram expetierunt. Sed & puella quædam, quia impudentius Veneris ſimulachrum aſpexit, eidémque ſe conformauit, à Dæmonio obſeſſa eſt: vt notauit Proſper Aquitanicus. Hiſtoriã ſuperiꝰ recẽſuimꝰ. Et in Vita Simeonis Sali refert

Leontius

Leontius, Neapoleos Cypri Episcopus: quòd quidam ob consuetudinem stupri à Dæmone fuerit arreptus: quem Simeon inflicta alapa curauerit.

Fortè hic locum habet matrona nobilis, cuius B. Gregorius, lib. 1. Dialog. cap. 10. meminit, quam Dæmon in publica supplicatione inuasit, quòd *carnis*, vt ipse loquitur, *voluptate victa, à viro suo non abstinuerit*, quando sequenti die Oratorium S. Sebastiani processionem cum aliis peractura intrauit. Commodum Dæmonum domicilium sunt Luxuriosi. Sunt enim & dicuntur *Spirittus immundi*: amant *loca humida, non inueniunt requiem in aridis*. Virtus eorum in *lumbis* & *vmbilico*.

Luca. 11. Iob. 40.

15 Sexta *Liuor & Inuidentia.* Testis huius est primus gentis Isacidæ Rex, Saul: qui quoniam in innocentissimum, optiméque de Rep. meritum Dauidem ira inuidiáque flagrauit; à Domini Spiritu relictus est, & à Nequam possessus. Et, si *inuidia Diaboli peccatum intrauit in mundum*, ab inuidis abhorrere possunt Dæmones? Vide pro hac re exempla apud Lisiardum Episcopum, in Vita Arnolphi, capitul. 24. 38. 41. 42. apud Surium Tom. 4.

1. Reg. 16. Sap. 2.

16 *Auaritia* etiam inter culpas est, ob quas Dæmones facilem aditum habent. Posset hoc forsitan recentibus nouisque exemplis doceri; sed his opus non est, cùm magnum argumentum Apostolus præbeat: tum, quando docet Auaritiam *esse Idolorum seruitutem*: tum, quando asserit in *laqueos Diaboli, atque varias tentationes incidere*, qui diuitiis student, & sectantur pecunias.

Ephes. 5.

17 Ad has accedit, quæ *Sanctis hominibus affertur persecutio.* Ob hãc à Dæmonibus Obsessi plurimi: inter

1. Tim. 3.

inter alios etiam Geilana Franconiæ Ducifſa, ob necem S. Kiliano procuratam. teſte Sigeberto circa annũ Domini 697. Et, quid ni Diabolos ſocios habeant, & hoſpites: qui ſanctos viros, Dæmonum hoſtes, cane peius & angue oderunt? Huc pertinet calumnioſa eorundẽ accuſatio, & maledictio, quæ ſimilibus modis ſunt vindicata, vt patet in Vita B. Gregorij Agrigentini, apud Surium, menſe No- 18
uẽb. & Danielis Stilitæ, apud eundẽ menſe Dec.

Addiderim dictis *filiorum in parentes impietatem.* Veriſimile eſt hos facilè perpeti obſidentes Dęmones: quoniam ſępe extra ſe poſitos experiũtur carnifices. Rẽ vno exemplo Alexandri ab Alexandro verbis probamus. *Res admiratione digna eſt, inquit, libr. 4. Genial. dierum ca. 19. quam recenti admiratione comperimus Romæ.* Quippe nota res eſt Cùm apud Gabios quidam infimæ ſortis, & obſcuris natalib. Adoleſcens, veſanus & furioſus (cuius praui mores & vita facinoroſa fuerat) in parentẽ grauib. iurgijs conuiciatus foret; poſt iurgia immodica, cum furijs agitatus, aduocato Dæmone, cui ſe deuouerat homo ille improb. & impurus; furore cæcus & amens diſceſſiſſet, & Romã petere cœpiſſet, eo conſilio: vt aliquod dirum facinus in patrẽ moliretur; dũ iter faceret, Dæmonem facie hominis truculenta, ſordida barba & capillo, veſteque obſoleta & ſquallida, obuiam habuiſſe. quò cùm ſimul pergerent, illum interrogaſſe iuuenẽ (quem animo anxio & ſollicito videbat) quid iam triſtis incederet; atque ille, cùm quid iurgij cum patre fuiſſet, quodq; aliquid ſceleſti facinoris patrare cuperet, reſpondiſſet; Dæmonẽ ille ſe quoq; ſimili caſu percitum fuiſſe dicere: proinde pergerent, & ſuas iniurias vltum irent.

Cumqúe nocte appetente ad vrbem applicuissent, in proximo hospitio diuertisse, atque cubiculum, quod à caupone vtriq; exhibitum fuit, haud multò post, cubitum iuisse. Cumqúe vna cubarent, pestē illam immanem: cùm illum somno oppressum videret, infestis manib. iugulum hominis apprehendisse, vt elisis faucib. necaret, quem iam oppressisset, ni expergefactus ille, Dei opem & auxiliū aduocasset: quo audito, furiam illam deterrimam stridore & tumultu maximo, tantoq; impetu cubiculum, vnde euasit, dicitur collisisse, vt tigna & tectū euerterit, teguláſq; penitus perfregerit. Ita Alexād.

Sed magis ad rem facit exemplum, quòd in Vita S. Parthenij refert Metaphrastes, 7. Februarij. Ad hunc enim cùm parentes filium suum, qui grauem Dæmonis carnificinam patiebatur, adduxissent, & pro eiusdem incolumitate instantius precarentur: Sinite, dicebat Parthenius, torqueatur, parricida est. parentibus vobis sæpe molestus fuit, & quam eidem optastis, iustam sustinet castigationem. Et de Carolo Iuniore Ludouici Germanorum, Regis filio refert Sigibertus. circa annum Domini 873. quod à Dæmonio grauiter in præsentia Patris, & optimatum eius sit vexatus: & in vexatione confessus; hoc sibi ideo contigisse, quia contra patrem suum conspirationem facere moliebatur.

21 Decima culpa est *Iurgium atque Conuitium*. Hæc enim cùm sine irato animo non sint, & quandam quasi coniunctam furiam habeant, optimè homines ad Dæmonum domicilium disponere videantur, Quid, quod inter furiosum atque Obsessum vix vlla videatur esse distantia: Quidquid sit: ab his non ita procul abesse Dæmones alio exemplo idem

idem Alexander idem demonſtrat, quod eiuſdem quoque verbis adſcribimus. *Author eſt*, inquit, Thomas monachus, homo minimè malus, cuius ego fidem authoritatémque pluribus in rebus expertus didici, qui ſerio mihi retulit, quòd cum in monaſterio & ſacris ædibus, quæ in Lucanis montibus ſunt, cum pluribus, iurgatus foret, & poſt immodica conuitia & rixas animo perturbatio inde ſe proriperet: cùm per nemora iter ſolus intenderet, ſpeciem hominis vultu tetro, nigra barba, promiſſis tunicis, vultu aſpectuqúe deformi, & ſæuo, obuiam habuiſſe quem cùm compellaret, quid ipſe ſolus per deuia errabundus incederet, dixit: equúm, quo vectebatur amiſiſſe: atque in proximos campos illum euaſiſſe credere: cumqúe per ſinus inuios equum vnà quæſitum pergerent: ad profluentem, in cuius alueo gurgites magni, & formidabiles redundabant, deueniſſe. Et cum monachus vt aquam traijceret, calceos ſibi eximere appareret, illum magnopere coëgiſſe, & tandem peruiciſſe, vt ſuper ſpatulas ſuas aſcenderet, potiúſque à ſe, qui corpore maior erat, vectaretur, qui aquieſcens cùm ſuper illius ſpatulas, vt ſuccollaretur, monachus aſcenderet, illeque iam aquam ingredi appararet, dum vada exquirit, illius pedes non humana, ſed tetra & deformi ſpecie conſpexit; quo animaduerſo horribili terrore percitus, Deum, vt ſibi præſto eſſet, acclamauit. Mox Dæmonem & diram illam ſpeciem, diuino audito verbo, ſtridore querulo, & vi maxima, quanta dici poteſt, ita è conſpectu abijſſe dicit, vt imminentem quercum ingenti impetu colliſerit, ac perfractis ramis funditus euerterit; Et hoc Alexander.

20 Vndecima culpa eſt, *Dei contemptus: ſiue Religionis, & Pietatis neglectus.* Cùm enim duo ſint Domini, quibus ſeruire neceſſe eſt; Deus & Dæmon: ad Dæmonis caſtra accedunt, quicunq; Deum: ſummum bonum, deſerunt. Pro hac re facit exemplum quod iam ſecundò citatus affert Alexander de Iuuene quodam, quem horribili ſpecie infeſtis manibus Diabolum inuadere quærebat, quia, vt verbis Alexandri vtar, conſtabat prauis illum moribus & inciuilibus cum Dei contemptu diu vixiſſe.

Cùm Dei religioniſque contemptu coniungo *iniuriam rebus Eccleſiæ, quæ Dei dicere poſſumus, illatam:* Pro quo quamuis multa dari poſſint exempla, nobis tamen ſufficiunt duo, quæ Gregorins Turonenſis ſubminiſtrat. Refert lib. 3. cap. 12. de rebus geſtis Francorum, accidiſſe ſub Theodorico Francorum Rege, quod pars exercitus eius ad Briuatenſem quandam viam infeſta proruperit: & quia in templo magnam hominum multitudinem cum facultatib. ſuis reſidere intellexit; ſpe prædæ, nulla templi religione prohibita, eò aduolarit, vim in templum fecerit, feneſtras confregerit, populi bona diripuerit: veruntamen haud impunè. Nam Rex quidem de multis iuſtum ſupplicium ſumpſit: & qui primus corruptionis author fuit, manus quidẽ Regis, ſed non Dei effugit. Vltio diuina fugientem ſecuta eſt: & igne diuinitus delapſo miſerè conſũptus eſt. cætera turba, ad quàm prædæ aliqua pars peruenerat, à Dæmonibus correpti, diuerſis, ſed miſerandis modis perierunt. Hoc primum ex Gregorio exemplum.

Alterum recitat lib. 1, cap. 105. de Gloria Martyrum, hoc docet inuaſores Eccleſiæ S. Vincen-

tij à Dæmonibus tortos expiraſſe, Erant hi de exercitu Regis Galliarum Chilperici, qui contra Gundebaldum Ducem arma ſumpſerat, Cum verò Eccleſiam S. Vincentij, in qua plebs ſe cum rebus ſuis tutam confidebat, vallaſſent; & aditum ad illam non haberent: primùm oſtiis templi ignem ſubiiciunt, ſed conatu irrito: mox deinde ſecuribus viam ad templum ſibi faciunt: illudque ingreſſi, omnia cæde & rapina miſcent. ſed nec hi impunè. *Alij*, inquit Gregorius, à Dæmonibus correpti miſerandum ſpectaculum dederunt: alij in flumine Garumnæ necati: multi etiam à frigore occupati, diuerſis in partibus diuerſorum morborum genere vexati ſunt. Qui tertium Exemplum ex eodem Gregorio deſiderat, legat lib. 7. Hiſt. cap. 21.

Timere etiam Dæmones poſſunt, *qui ſe Dæmonibus deuouent, &, vt abripiantur ſibi precantur.* Nec immeritò. Nonne iuſtè quis illius carnificinæ poteſt ſubijci, quem ſuum carnificem efflagitat? Et ſi plurimos obſiderunt Dæmones, qui non ſibi, ſed quibus alij, Dæmones ſunt imprecati: quid nouum ſi eos ingrediantur, qui eundem & ſibi precantur, & precando grauiter diuinam maieſtatem offendunt? Vide Cap. 16, Habet pro hac re egregia exẽpla Ioannes Nider lib. 5. formicarij. 21

Ad hos proximè *Magi & Diuinatores accedunt*, qui, ſi non ſe Dæmonibus deuouerunt, magna profectò & ſacrilega cũ ijs habent pacta, & fœdera. Dæmones ijſdem miſeram aliquando mortem attuliſſe certum eſt. Eoſdem à Dæmonibus etiam interdum fuiſſe obſeſſos, probat hiſtoria ex B. Hieronymo. aliàs allata. Verùm quidquid de his ſit, ſi 22

iustum est,vt quo quis peccauit,eo puniatur,nulla his dicemus fieri iniuriam,si tortores experiantur, quorum simulata habuerunt obsequia.

23 Dictis adiungo Sacramenti *Confirmationis contemptum*,vel neglectum.Nouimus non vnum, sed plures:qui graues Dæmones molestias & persecutiones sustinuerunt, antequam Sacramento Confirmationis essent initiati,à quibus mox, percepto Sacramento,fuerunt liberati.Quidni verò vel tales ingrediatur Diabolus,vel ingredi postulabit, quibus alioquin est molestus?

24 Possunt iam à nobis recensitis peccatis plura addi:sed quoniam hæc præcipua existimamus : & reliqua ad ipsa reuocari possunt,finem facimus,atque,*Vtrum etiam absque culpa sua homines à Dæmonibus possideantur,* inquirimus.

CAPVT XXXI.

Homines quandoque non ob proprias: sed aliorum culpas Dæmonum tyrannidem perpeti.

1 ALiquando homines absque vlla sua culpa à Dæmonibus possideri, clara est confessio Beatorum Augustini,& Hieronymi.B.August. sic loquitur,lib. 21.de Ciuitate Dei,ca. 18.Graue iugum filios Adam à die exitus de ventre matris eorum,vsque in diem sepulturę matrem omnium,vsque adeo impleri est necesse;vt ipsi paruuli,per lauacrum regenerationis ab originali peccato, quo solum tenebantur vinculo iam soluti,multa patiẽtes, nonnulli incursiones Spirituum malignorum

patian

patiantur S.Hieronymi hæc oratio eſt, Epiſtola ad Paulam, de dormitione Bleſillæ. Quæ cauſa eſt, inquit, vt ſæpe bimuli, trimuliue: & vbera materna lactentes, à Dæmonio corripiantur? Inuiſibilia hęc addit inſcrutabili Altiſſimi iudicio ſũt relinquẽda.

His B.Hieronymi bimulis & trimulis, & Augu- 12
ſtini infantibus adiungimus Puerum, cuius Hiſtoriam pluribus retulimus Theſi 4.cap. 26; Puerum quoque, quem à ſæuiſſimo Dæmone liberauit B. Macarius, de quo Palladius in Vita Macarij: illum quoque, cuius in hiſtoria S.Parthenij fit mentio: in quo quamuis poſt multos annos ſe prodidit: à pueritia tamen latuit occultus Dæmon: teſte Metaphraſte. 7. Februarij: Præterea Toloſenſẽ Puellam, à qua Dæmonium expulit S.Remigius, à S. Benedicto rogatus, de qua in Vita S. Remigij Hincmarus, apud Surium. To. 1. fol. 83. Infantem quoque, Dominicum nomine, quem Bertholphus, Abbas Bobienſis ab infeſto Spiritu liberauit, teſte Iona, in Bertholphi Vita, apud Surium Tom. 4. Denique illum, cuius meminit S. Marcus Euangeliſta, cap. 9. hiſtoriæ Euangelicæ, qui Dæmonis grauiſſimam vexationem ab infantia ſuſtinuit, quemadmodum Pater pueri Domino interroganti eſt confeſſus.

Cum B.Hieronymo dictiſque exemplis conſen- 13
tit, D.Chryſoſtomus. Nam in libris, quos de prouidentia ſcripſit, etiam in hoc diuinam prouidentiam cognoſcit, quòd *Sanctiores homines* aliquando Dæmones poſſideant; quos dum in peccatis volutarentur, & vitijs indulgerent, nulla aduerſitas moleſtabat. qua ratione quoque Theodorum quendam, quem Dæmonium poſſidebat, conſolatur,

4 Res hæc dubia non est: primò exemplo puerorum, quos ob rationis defectum non est possibile peccare, & tamen quandoque à Dæmonibus obsideri, non solùm quotidiana probant exempla: verum etiam per suos trimulos bimulosque & materna vbera lactentes. B. Hieronymus.

5 Deinde huic ratio suffragatur. Neque enim in alio genere malorum est hoc, quòd à Spiritibus affertur; quàm quæ *Pœnæ* mala dicimus. At non necesse est hæc proprijs meritis irrogari. *Neque hic peccauit, neque parentes eius:* loquebatur Dominus de quodam *qui orbitatem oculorum, grauissimum pœnæ malum, patiebatur.*

6 Accedit ad hæc Eremitæ cuiusdam iudicium. Dicitur à Deo postulasse & impetrasse: vt per mẽses aliquot eius corpus ab inhabitante Dæmonio affligeretur propter periculum peccati, quod timebat, superbiæ. Cognouit, profectò, vir pius non semper preteritis & commissis peccatis tribui Dęmonum torturam, sed quandoque admitti; ne in peccata homines incidant, Deumque offendant. Vide Sulp. in vita Martini dialog. 1.

7 Quanta sanctissimo Iob mala attulit Diabolus non in fortunis solùm: verum etiam in corpore? An forte ipsius culpa omnia? *Sanctum & rectum* fuisse docet Scriptura. Et qui hæc potuit, extra Iob corpus constitutus, Dæmon: eadem non posset, Iob inhabitans, quamuis sine vlla Sancti viri culpa?

8 Scimus dixisse B. Augustinum, *Dæmones non possidere homines, nisi quos fallendo deceperint.* Dixisse quoque *inimicum neminem subiugare nisi societate peccati:* (Vide Thesin. 12. ca. 29) Sed attendit Sanctissimus

ſimus Pater, non quid fieri neceſſe eſt: ſed quid, vt plurimum, fieri aſſolet. Atque ita intelligendus eſt locutus fuiſſe Dæmon, quem S. Triphon coëgit cauſam dare, cur Gordiani Imperat. filiam ingreſſus eſſet. Quando enim docuit Dæmones in eos poteſtatem non habere, *qui in Deum ſunt pij*, quid, vt plurimum accidat, ſignificat. Quanquam & dici poſſet B. Auguſtinus de ea poteſtate Dæmonis locutus, quam in homines accepit, ratione peccati, quod committunt: quam profectò magnam habent, quāuis corpora ipſa non poſſideāt. Ex his patet quid ad Caſſianum reſpondendum.

Interim, quam non ob propriam culpam tyrannidem Dæmonũ, ſemper Obſeſſi patiuntur: illam non patiuntur ſemper ſine culpa. Quemadmodum aliorum in culpa aliis, malorũ pœnæ poteſt eſſe cauſa, ita poteſt aliis Dæmonum tyrannidem & carnificinam accerſere. 9

Quod dicimus, non violat leges iuſtitiæ Nonne in bonis, quæ quis poſſidet: iuſtè poteſt puniri? Et homines quidam, nonne quorundam hominũ ſunt bona? filij parentum? ſerui dominorum? inferiores ſuperiorum? 10

Sed vtrum quod Iuſtitiæ leges non violat, ſi fieret; etiam aliquādo fit? Dæmonum ne quidam, non ob ſua, ſed aliorũ peccata vexationes experti? Experti. Rem exemplis docemus. Superius, cap. 6. tria ex Cæſario attulimus; his quartum addimus ex Vita Zenonis Martyris deſumptum: Ibi mater cùm febrienti filio poculum aliquoties præbuiſſet, nec filius petere deſiſteret; impatientia victa; eidem poculũ offert, & cum poculo Dæmonium imprecatur: móxque ille à Dæmone miſerè cæpit 11

torqueri. Vide Surium 25. Maij. Addimus quintũ celebris illius Dæmoniacæ Laudanensis, Gallia, an. 1566. liberatæ; & sextum alterius Motensis in Hannonia, ann. 1584. quæ ambæ in potestatem Dæmonum, mala parentum imprecatione venerunt. Septimum licet petere ex Vita S. Reginæ Hungariæ Elisabeth per Iacobum Spirensem descripta, Cap. 30.

12 Constitutum igitur sit, & *posse* homines absq; sua: sed tamen ob aliorum culpam, Dæmonum tyrannidem perpeti: & præterea sæpe *reipsa* perpeti. *At qui ob quorum*? Difficile hoc fortè explicatu. Ita tamen, ni fallimur, se res habet; quod quãuis quibusuis in quibusuis Deus exẽpla suæ vindictæ possit ostendere; possit etiam quosuis perquorumcũque supplicia à peccatis deterrere: nullos tamen propriè hoc supplicij genere, tanquam iusta pœna, ob aliorum culpas afficere iudicãdus est: nisi qui cum ipsis, qui culpas dederunt, quadam ratione coniuncti sunt.

13 Vindicabit parentum peccata in filiis: Dominorum in seruis: Superiorum in subditis: Mariti in vxore, & cõtra *Deus noster Deus est Zelotes, vindicans peccata parentum in tertiam, & quartam generationem.* Exod. 20.

Capvt XXXII.

Fieri quandoque, vt absque vlla sua Dæmonum cruciatus in obsessis corporibus sustineant Mortales: *sed tamen non sine magnis diuinæ prouidentiæ rationibus.*

1 IN huius Capitis ingressu B. Hieronymi. superiori Capite allatam constituimus sententiam.

Qua

Quæ causa est, inquit, vt sæpe bimuli trimulive, & vbera materna lactantes à Dæmonio corripiantur? Inuisibilia hæc inscrutabili altissimi Dei iudicio sunt relinquenda. Docet Sanctissimus vir, hac sententia; non tantùm aliquando accidere, vt absque vlla sua culpa Mortales à Dæmonibus possideantur; verùm etiam absque *omni* culpa. Hinc non iudicat multũ cogitatione hîc fatigandas: diuinam potius vult prouidentiam admirandam & prædicandam.

Et ita se prorsus res habet. Et haud rarò, vt *absque vllo hominum demerito patiantur homines, non hanc solum, de qua agimus, Dæmonum carnificinam; verùm etiam alia quæcunque mala*, quæ vel corporibus possunt incommodare, vel fortunis. In quibusdam malis vix alias causas: quam diuinã prouidentiam possumus inuenire. 2

Et profectò multas hic diuina prouidentia potest habere causas; quãdo nulla hominum culpa, hanc carnificinam Dæmonibus vel permittit, vel præcipit. Scilicet, vel hic propositum est homines instruere: vel à vitiis deterrere, & ad virtutũ studia incitare: vel statuere exemplum patientiæ: vel maioribus bonis aptos & capaces ad futuræ vitæ reddere, gaudia. 3

Instruit duobus modis. Nam principiò hinc intelligũt, præter corpora, *Spiritus quosdam esse*, omnis concretionis expertes; quòd Sadducæi inficiabantur. Deinde colligunt mirum non esse, si *animam corporis expertẽ possideant*, quæ etiam quemadmodũ Spiritus immortalis sit & æterna; & post hanc vitam, aliam viuendi rationem sit ingressura. Vide Tostatum Abulens. in 8. Matth. q. 12. 4

Deinde

Deinde hic, in imagine quasi, ob oculos ponuntur *extremi illi cruciatus atque tormenta*, quæ post hanc vitam reprobos manent: fitque ipsorũ consideratione: vt mortales fugiant peccata, quibus Dæmonum imperium & carnificinam olim in futura vita demerentur.

6 Agnoscunt etiam, *quantum Spirituum immundorum erga humanum genus sit odium*: cùm tanta in miseros homines, atque innocẽtes etiam, barbarie faciunt. quæ meditatio hoc habet emolumẽti, vt prorsus animos Mortalium (nisi fortè deploratæ sint salutis) à Spiritibus auertat, & omnẽ cum iisdem societatem, atque cõmunionem dissoluat.

7 Possunt & hinc homines discere: *quidnam in anima eorum, qui Lethalia peccata perpetrarunt, Dæmones efficiant.* Quæ in corporibus fiunt, indicia eorum sunt, quæ in anima accidunt. An non rupta vincula in obsessis Euangelicis, argumentum sunt, eos qui cum peccatis fœdus habent, rumpere omnia honestatis vincula: quæ, ne peccẽt, prohibere possunt? Et quòd quidam hominũ societatem fugiant, atque in montibus cum feris degãt: nonne communione Sanctorum, quæ in Ecclesia est, ipsos demonstrat priuari? Quod verò alios lædere dicantur: nonne magnum argumentum est, peccatores non sibi solùm: sed aliis quoque detrimenta afferre, si non aliis rebus, saltem malo, quod præbent exemplo?

8 Denique hac ratione bonos exercet Deus: De hoc dubium est nullum. Vt aliis rationibus, ita hac suos Deus potest probare. Qui potestatem Dæmonibus facit, vt extra iustos cõstituti, ipsos affligãt: potest etiam facultatem dare, vt corpora

ingre

ingrediantur,& ſuam tyrannidem exerceant.

Et quemadmodum ſuos, hac ratione, probat Deus:ita & ipſorũ auget merita,& maioribus atque pluribus modis ſe iiſdem obſtringit. Vt taceam, quod vniuerſo mundo virtutis Suorũ præbeat egregia exempla, atque imprimis patientiæ. 9

Præter iam dictas, alias poteſt diuina prouidentia habere cauſas. Hoc ex Gregorij Turon. deſumpta,ſequenti Hiſtoria docemus. Theodorico (inquit) Francorum Rege defuncto, Theobertus filius eius ſucceſſit:qui cùm multa iniquè exerceret, multa etiam permitteret,quę impedire oportebat,à S.Nicetio,Treuirenſi Epiſcopo,arguebatur. Aduenit autem dies dominicus. Et ecce Rex cum his, qui à Nicetio,communione abeſſe iuſſi erant,Eccleſiam eſt ingreſſus. Lectis igitur lectionibus,ait Sacerdos : Non hîc Miſſarum ſolennia conſummabũtur,niſi communione priuati prius abſcedant. Hîc,Rege renitente,ſubitò exclamat vnus ex populo arreptus à Dæmone,iuuenis adhuc puer,cœpîtque valida inter ſupplicia torturę ſuæ,& Sancti virtutes, & Regis crimina proclamare.Epiſcopũ aſſerebat caſtum,Regem adulterum. Epiſcopũ Chriſti timore humilem : Regem gloria regni ſuperbum. Epiſcopum ſacerdotio impollutum à Deo in poſterum præferẽdum:Regem ab auctore ſceleris ſui velociter elidendum, Cúmque Rex timore perculſus pereret, vt puer Energumenus ab Eccleſia eiiceretur, dixit Epiſcopus:Prius illi,qui ſecuri ſunt,id eſt,incæſti,homicidæ,adulteri ab hac Eccleſia extrudantur : & hunc Deus ſilere iubebit.Et ſtatim rex iuſſit omnes hos,qui Sacerdotis ſententia damnati fuerãt, 10


egredi

egredi de Ecclesia. Quib⁹ expulsis iussit Sacerdos Dæmoniacum foras extrahi: sed cùm apprehensa columna, euelli à decem viris non posset; Sanctus Dei sub vestimento suo (propter iactantiam videlicet euitandam) faciens Crucem relaxari præcepit. Qui protinus corruens cùm his, qui eum trahere nitebantur, post paululum sanus erectus est. Deinde post acta solennia requisitus, nunquã reperiri potuit: nec vllus sciuit, vnde venerit, aut quò abierit. Hæc Gregorius in Vita Nicetij, & post eum Cæsar Baronius, Tom. 7. anno Christi, 530. fol. 146.

11 Cæterùm ex his omnibus (quæ 30. 31. & 32. Capitibus dicta sunt) manifestè perpenditur, inquit Cassianus Coll. cap. 28. non debere eos abominari, vel despici: quos isti Spiritibus nequitiæ tradi videmus, quia duo hæc credere nos immobiliter oportet. Primò, quòd sine Dei permissu nullus ab iis omnino tentetur. Secundò, quòd omnia quæ à Deo nobis inferuntur siue tristitia ad præsens, seu læta videãtur; velut à piissimo patre clementissimóque medico pro nostris vtilitatibus irrogentur: & idcirco eos, veluti pædagogis traditos humiliari, vt discedentes ex hoc mundo purgatiores ad vitam aliam transferãtur, vel pœna leuiore plectantur, qui secundùm Apostolum traditi sunt in præsenti Satanæ, in interitum carnis, vt Spiritu salui fiant, in die Domini nostri Iesu Christi Ita Cassianus.

Finis secundæ Partis.

PARS



TERTIA PARS

DISPVTATIONIS DE DÆMONIACIS,

IN QVA

DE VARIA POTESTATE, ET multiplicibus modis Dæmones ex humanis Corporibus eiiciendi, eorúmque efficacitate & his similibus agitur.

CAP. XXXIII.

Esse aliquam potestatem & virtutem, qua ex hominum corporibus eiiciantur Dæmones.



ERTIA Disputationis Pars circa
modum,& rationem Spiritus Ne- 1
quam , ex humanis corporibus,
profligandi versatur. In hac,si generatim loquaur, *tria* potissimum queruntur. Primum est, Sitne aliqua *potestas*, qua ex hominibus Dæmones exigi valeant. Alterum, *penes quos* hęc potestas resideat. Tertiũ, *Quibus* potissimum *rebus* nitatur.

Primum Caput, quemadmodum & alia, partes continet plures. Neque enim tantùm demonstrandum est, *Esse* aliquam talem potestatem; verum etjam definiendum, *Vnáne* sit illa, an multiplex: &

plex:&

plex:& si multiplex, *Eadémne* omnium conditio, siue, quod inter illas discrimen: Quam etiam ob causam Ecclesiæ illa relicta, &c.

3 Et quidem *esse aliquam talem potestatem*, nemo debet dubitare, qui vel mediocriter in Sacris literis est versatus. Illæ siquidem, & à *quo* ipsa collata sit, demonstrant: & *quibus* collata sit: & *quam ob causam* collata sit: & præterea, *quam non frustra* collata sit: haud leuibus argumentis insinuant.

Marc. vlt.

4 Docent *collatam esse à Christo Domino*. Nã quos ille in vniuersum mundũ misit, vt nouam in mũdum lucem inferrent, cœlestémque doctrinã docerẽt: hac voluit potestate esse munitos, & instructos: vt quandocunque ita expedire iudicarent, Dæmones ex humanis corporibus eiicerent.

5 Docent *omnibus fidelibus, sed tamen imprimis Apostolis, atque Christi Discipulis esse cõmunicatam* Dedi (loquitur suis Dominus) *vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem potestatem inimici.* & profectò, si vllis, his imprimis illa erat communicanda; qui & pluribus modis se Domino obstrinxerant: & socij operis tam excellẽtis, quod ipse perfecturus in mundum venerat, erant futuri.

Luc. 10.

6 Docent ob *quem finem* sit collata: vt, scilicet, hac ratione authoritatem sibi apud infideles facerent: & veritatem doctrinę, quam afferrent virtute miraculorum, & præcipuè Dæmonum profligatione, astruerent.

Docent *non frustra* hanc Apostolis collatã fuisse potestatem. Nũquid nõ plurima, ex hominum corporibus Dæmonia eiecerunt? Infinita pro hac re, exempla suppeditant, qui eorum res gestas descripse

descripserunt. Verùm illa referre necesse non est: cum sacra suppetant. Nouimus à S. Paulo eiectũ esse Spiritum Pythonem ex puella, quæ haud *paruum quæstum suis Dominis diuinando faciebat*. Nouimus omnium Apostolorum hanc communem esse vocem: *Domine, etiam in nomine tuo nobis subiiciuntur Dæmonia.* *Act.19.* *Acto 15.* *Luc.10.*

8 Potestas hæc Apostolis collata, cum Apostolis extincta non est: *mansit sequentibus temporibus*, Neque enim ad Apostolos tantùm pertinet, quod dicitur: *Signa eos, qui crediderint, hæc sequuntur, In nomine meo Dæmonia eiicient:* Omnes Christi fideles hæc oratio comprehendit. Tamdiu hæc à Christo collata potéstas perdurabit; quamdiu erunt, qui Christi fidem profitebuntur. *Mar.vlt.*

9 Quanquam & aliud pro hac potestate argumentum Sacræ literæ subministrent; dum docent futuros sequẽtibus tẽporibus, qui Dæmonia sunt expulsuri, & tamen longè à Christi amicitia alieni. de quibus his verbis Dominus. *Multi dicent: Domine? Nonne in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & virtutes magnas fecimus?* quibus dicitur: *Nescio vos.* *Matth.7*

10 Si patrum pro hac re sententias omnes proferre voluerimus, haud dubium, molesti erimus. Sed tamen non omnes prætereundi sunt. Ex multis igitur paucos referimus. *Dæmones*, inquit Tertullianus, Ad Scapulã, cap. 2. non tantùm respuimus; verùm etiam reuincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus sicut plurimis notum est. Cyprianus ad Demetr. ita habet. O, si audire velles (sic compellat Demetrianum Africæ Proconsulem) & videre quando à nobis adiurantur & torquentur spiritualibus flagris: & ver-

borum tormentis de obſeſſis corporibus eiiciuntur: quando eiulantes, & gementes voce humana, & poteſtate diuina flagella & verbera ſentientes, venturum Iudicem confitentur. Veni, & cognoſce vera eſſe. quæ dicimus, Ita Martyr Cyprianus. In eandem ſententiam loquitur Iuſtinus: de veritate Religionis Chriſtianæ. Eius, inquit, nominis, (IESV) potentiam Dæmones tremunt, & reformidant; & hodie quoque illi, per nomen Ieſu Chriſti, crucifixi ſub Pontio Pilato, qui Iudeæ procuratorem egit, adiurari nobis parent. Cum vtroque conſentit Lactantius; Libro enim 4. cap. 27. ſic loquitur. Sicut Chriſtus, cùm inter homines ageret, vniuerſos Dæmones verbo fugabat: ita nunc ſectatores eius, in nomine Magiſtri ſui, & ſigno paſſionis eius eos ab hominibus excludunt.

Noſtris quoque temporibus, in Chriſti, apud Catholicos, Eccleſia, hæc poteſtas eſt; & eadem illa, quæ à Chriſto ſuis primùm collata fuit Diſcipulis: & ſequentibus ſæculis perdurauit: quod quamuis quidam ſine ratione negent, probari tamen haud obſcurè inde poteſt; quòd eadem eſt apud Catholicos, quæ in Apoſtolis & maioribus noſtris, orthodoxa fides: quòd idem Catholicis, quod olim illis fuit propoſitum, denique, quòd non aliæ ferè modò, quàm olim, ad Dæmones expellendos adhibeantur machinæ, & tormenta. Sed de his aliàs.

CAP.

CAPVT. XXXIV.

De quatruplici potestate, qua Dæmones ex hominum corporibus eiiciuntur.

ESse potestatem aliquam, qua Dæmones ex humanis corporibus pelli possunt, probatum est: *Vtrum vna illa, eadémque omnibus locis atque temporibus fuerit*; atque *Vtrum si multiplex, æquales demoniū vires, omnésque probari debeant*, nō temere quæritur: Quocirca nec sine ratione hîc definitur. 1

Et præter illam, quam Christus Ecclesiæ reliquit, de qua præcedenti Capite actum est, fuisse *aliam aliquam* Dominus docere alicubi videbitur. Cùm enim per summam contumeliam, quòd *in nomine Beelzebub Dæmonia eiiceret*, ipsi obiiceretur hanc a se calumniam, exemplo filiorum Iudæorum, qui apud ipsos Exorcistas agebant, & Dæmonia eiiciebant, remouit *Filij*, inquit, *vestri in quo Dæmonia eiiciunt?* 2

Scio per *filios* hos quosdam Christi Apostolos intelligere & putare; non alterius, quàm Christi Exorcismi hîc fieri mentionem: sed rectiussentiunt, qui non Apostolos, sed exorcistas Iudæorum, qui Christū etiā multo tempore præcesserūt & Dæmonia eiecerunt, intelligunt. Neque enim, cū aduersus Iudæorū calūnias se Dominus defenderet, iā cum hac Dæmones eiiciēdi potestate ad Euangeliū prædicandū missi erant Apostoli postmodum hæc ipsis cōcessa fuit. Accedit, quòd similem calumniam Apostolos passuros Dominus significauerit. *Si patrem familias*, inquit. *Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius?* 3 Math. 11

4 Sed fuerint, hi, quicunque voluerint, fuisse præter illam, quam suis Dominus contulit, *aliam*, qua Dœmones pellerentur, potestatem, ex Iosepho, Iudęorum Scriptore, clarum est: Is sic loquitur, li. 8. Antiq. cap. 2. Præstitit autem Deus etiam Salomoni, vt contra Dęmones, artem, ad vtilitatē hominum, & eorū curas, ediſceret: & incantationes instituit, quibus adstricti Dęmones, ne denuò redeant, eff.. gantur. Et hæc cura hactenus apud nos multú præualere dignoſcitur. Vidi enim quendam Eleazarum, de gente noſtra, præſente Veſpaſiano, & eius filiis, & tribunis, alióque ſimul exercitu, curantem eos: qui a Dæmonibus vexabantur. Modus autem medicinæ fuit huiuſmodi. Intulit naribus eius, qui à Dæmonio vexabatur, annulum habentem ſub ſignaculo radicem à Salomone monſtratam, deinde per nares odorātis Dæmoniū abſtraxit, & repēte cecidit homo. Poſtea id adiurauit, ne amplius rediret: Salomonis interim mentionē faciens, & incātationes ab illo inuentas recitās. Volens autem ſatisfacere, ac probare præſentibus Eleazarus, hanc ſe habere virtutem, ponebat ante eos aut calicem, aut peluim aqua plenum: & Dæmoni imperat, vt ab homine egreſſus, ea euerteret, & videntibus præberet indicium, quod hominem reliquiſſet: quo facto ſapientia Salomonis cunctis innotuit. Hæc Ioſephus.

5 Addo, quòd nomen tantùm his à Salomone acceptis artibus Iudæi ad profligandos Dæmones vſi ſint; verùm etiam ad eandem rem adhibuerint *nomen Tetragrammaton*. Cui enim illud ſcire, aut fari licuiſſet, quemlibet eam facultatem, aduerſus Dæmonia, aſſecutum eſſe teſtatur Epiphanius,

agens

agens aduersus Ebionæos. Cap. 30.

Præter has Dæmones eiiciendi, iam recensitas 6
rationes, *quartam* possumus constituere, qua per Dæmones Dæmonia expelluntur: Hac Appollonius Tyanæus vsus est, & tot sibi discipulos cósciuit, vt Eusebius octo libros aduersus Philostratum, Appollonij preconem coactus fuerit conscribere. Hac vsi Magi, de quibus apud Leonem Africinum legimus, qui post ductos aliquot circulos, & characteres in fronte Dæmoniaci, interrogatumque Dæmonem, eundem ab hominibus exigebat. Hac etiam illi vsi videntur, quorum Iustinus meminit, Oratione ad gentiles. De similibus locutus videtur Vlpianus, (lib. 1, ff. de var. & extraorod. cgnit.) cùm negat ijs *qui incantarunt, qui imprecati sunt, & qui exorcizarunt; de eorum mercede ius esse dicendum*. Non enim Christiani erant, qui gratis absq; aliqua conuentione stipendij, huiusmodi officiū impendere consueuerunt; sed gentiles, impostores, & circulatores; qui vrbes circuibant, & superstitionibus vtebantur: eoque exercitio instar medicorū curātium corpora: quæstum faciebant, & pecunias colligebant: teste Baronio, Tom. 1. Annal. Denique hac vsi Illi, quorum B. Gregorius lib. 1. Dialog. c. 10. meminit: qui adductā ad se nobilem fœminā magicis suis incantationib. à Dæmonio liberare tentârunt: & ab illo quidem liberârunt, sed interim integræ legioni immundorum Spirituum ostium ad eandem ingrediendum aperuerunt, Miro enim Dei omnipotentis iudicio, inquit idem Grego. dum arte peruersa vnus ab ea repellitur, in eam legio subitò intrauit. Cœpitq; ex hoc illa tot motib. agitari: tot vocibus, clamoribus

perstrepere, quot Spiritibus tenebatur.

7 De hac quanta ratione dubium nullum fuit, apud Iudæorū Scribas & Pharisæos. Hinc Christi miraculosa, & Dæmonum expulsionem eleuātes: *In principe Dæmoniorum Beelzebub*, inquiebat, *eiicit Dæmonia*. Sed nec res noua videri debet: cùm constet non æquales omnium Dæmonum vires esse; sed alios alijs potentiores, & ob id facilè fiat vt hi inferiores sedibus suis pellant.

8 Et quāuis Dominus alicubi probari videatur fieri non posse, vt Dæmones Dæmonia pellāt; nisi suum regnum velint dissolutum; non tamē omnino negasse Dæmones hāc potestatē habere quinimò indicasse hanc exceptionem aduersus rationem à se allatā produci posse inde potest colligi, quòd illa, non tanquam satis firma, non contentis; alias, quæ non ita facilē exceptionem haberent, in medium proferre voluerit. Quanquam & hoc dici potest, significare voluisse Dominum inuitos Diabolos per socios nunquam pelli! Quādo enim ad sociorum imperium cedunt; non tam expelluntur quàm sponte egrediuntur.

8 Et posterior hæc responsio magis placet: quod ita sua vis constet Domini argumento; quo insinuat Regnū Diabolorum diuisum non esse; & in hominum perniciem conspiciare omnes. Tertiam quidam responsionem: pro robore Domini argumenti, afferunt quasi de actu non de potentia locutus sit Dominus; docueritq; Dæmonem non expelli opera Dæmonis, non verò expelli non posse. Verum vel hi exemplis superantur, quæ alias attulimus: vel quam nos secundo loco dedimus probare debent responsionē & admittere, vnū alteri

nullam

nullã vim afferre, aut inuitũ domicilio suo pellere.
Quam quæso ob causam alter alterum reniten- 10
tem pellet? An fortè, quia fortior hominẽ, quem
inferior torquet, diligt? At omniũ. Vatinianum
est erga mortales omnes odium? Nullus est, qui
cuiquam bene velit. An quia malè vult inferiori,
eumq; persequitur? Et esto, non sibi bene velint:
minus tamen hominibus, quàm sociis fauent. An
quia placet, vt per se torqueatur potiùs miser ho-
mo, quam inferiorem Spiritum? At possunt multi
eundem simul torquere, nec vnus alterum in ho-
minis tortura impedit. Vide Abulẽsem. qu. 61. in
12. Matth.

Ex dictis sequitur *quadripartitam potestatem* 11
Dæmones pellendi posse distingui. Vna potest di-
ci *Christi*: altera *Dei*: tertia *Salomonis*: quarta *Dia-
bolica*. Et hæc quidẽ ab ipsis, ferè, authorib. distin-
ctio sumitur. Alia esse potest, quæ ex ratione pel-
lendi Dæmones accipitur, Ita dicimus aliam *Di-
uinam* esse, aliam *Naturalem*. Naturalis est, qua Dæ
mones vi Dæmonum pelluntur: Diuina, qua Dei
munere & beneficio: vt in illa *Dei*, *Christi*, atque
Salomonis contingit, &c.

CHAPVT. XXXV.

De multiplici differentia inter quadruplicem potestatem expellendi Dæmones.

MVltiplex est *differẽtia* inter rationes, quibus, 1
superiori Capite Dæmones expelli diximus,
& alia ab ipsarum authoribus: alia à forma: alia à
subiectis: alia à finibus: alia ex aliis causis & cir-
cunstantiis petitur.

2 Priores tres, quas diuina authoritate niti diximus, *Deum habent authorem*, si tamẽ vnde primùm illæ profectæ sint, velimus attendere. Hoc de illa, quam Christus suis communicauit, dubium non est, cùm Christum omnes verum Deum profiteamur. Constat quoque de illa, qua per inuocationem nominis Tetragrammaton Dæmonia pulsa sunt. Nec possumus de illa Salomonis dubitare, cum & diuinitùs illam communicatam esse testetur Iosephus: & omnis omnino potestas, qua Dæmones pelluntur, si modo licita sit, diuina sit. Ad hoc Diabolica ab his differt. Hæc enim, vt à Dæmone nomẽ habet, ita Dæmonẽ agnoscit authorẽ.

3 *Forma* in omnibus alia atque alia. *Dei*, nominis Tetragrammaton constabat inuocatione: *Salomonis* postulabat annulum habentem subter signaculum, radicem a Solomne monstratam, quem naribus eius, qui Obsessus erat, oportebat inferri. *Christi* olim pręcipuè habebat eius nominis inuocationem, aut res tales, quæ ad eius diuinitatem asstruendam, aut doctrinam cõfirmandum facerent. Nihil horum habuit *Diabolica*.

4 Etiam *subiectis* siue *ministris* differunt, *Diabolica* non penes quoscũque, sed illos, qui se Dæmonib. vouissent, fuisse videtur. *Dei* apud eos, quibus permissum erat vti nomine Tetragrãmatõ, vt Epiphanius insinuat. *Salomonis* certos habuit Exorcistas. At *Christi* quãuis præcipuè Apostolis, omnibus tamen omnino fidelibus initio communicata fuit.

5 *Fines* diuersos fuisse in his diuersis modis nemo dubitat. Neque enim vnquam idem Deo & Dæmonibus propositus est finis. Itaque in potestate, quæ à Deo est, diuini nominis gloria, & augmentum,

tum, hominum incolumitas & ſalus:& à miſeria libertas quæritur:in Diabolica,ſi fortè hoc poſtremum confertur,priora expectantur.

Quòd ſi primordia atque *principia* poteſtatum harum inquiramus,etiam hinc aliquod diſcrimen licebit accipere. Poſtrema omnium eſt, quam Dominus ſuæ Eccleſiæ cõtulit:hac aliæ ſunt priores.Inter hás, ſi ordo conſtituendus, poterit præponi illa Dei.Neque enim veriſimile eſt Salomonis præcedere: cùm ante Salomonem à Dæmonibus Mortales obſeſſos fuiſſe dubium non ſit: & credi debeat non fuiſſe iis ſubſidia, quibus iuuarentur. Diabolicam autem Dei poſteriorem eſſe, idcirco videmur poſſe aſſerere, quòd Dæmon Dei ſimia dicatur: qui Dei in rebus omnibus opera imitetur,& effingat. 6

Efficacia omnes ſuperare videtur illa Chriſti.Id non inde ſolùm colligimus, quod in propria perſona illam Dominus exercuerit,& nullo labore,leuiſſimis etiam adhibitis machinis, multitudine propemodum innumerabiles Dæmones expulerit:verùm etiam ex eo, quod ſuis promiſerit maiorem,quàm ipſe in edendis miraculis habuit,virtutem & poteſtatem. Annon quod dicimus probant D. Pauli cingula? petri vmbræ? Dæmonia etiam ab ijs pulſa, qui quamuis Chriſto non crederent: Chriſti tamen inuocationem in Dæmonum eiectione adhibebant? 7

Differunt quoque *duratione*. Conſtantior multò eſt illa Chriſti, profligandi Dæmoes, ratio. Aboleuit, quæ per nominis Tetragrammaton inuocationem Spiritus pellebat. Perdidit ſuas vires illa Salomonis. Chriſti perdurabit, quamdiu 8

eius in terris Ecclesia subsistit. Si Diabolica manet: non viribus suis, sed Dei permissione manet.

9 Licet hinc aliud discrimen petere. Quod illud? quòd priores, hoc est, *Diuinæ* illæ, *absolutæ* sint: *Diabolicæ* non item. Sint quantæcũque vires Dæmonibus superioribus: sint inferiores promptissimi ad superiorum mandata exequenda: nisi ita Deus permittat: illi hos per Magos humanis corporibus pellere non possunt: quemadmodum neutri, id est, tam inferiores, quàm superiores, nisi Deo permittente, homines possunt ingredi, & possidere.

10 Addimus dictis, *vltimam*, qua *Diabolica* à cæteris distat, differentiam. Non debent damnari illæ tres, quæ diuinam habent authoritatem: Diabolica probari nulla ratione potest. Quodcunque hic propositum sit bonum: quodcunque malum caueri possit: permitti non debet, vt opera Dæmonum in Dæmonibus pellendis quis vtatur.

CAPVT XXXVI.

Ob quem finem Ecclesiæ suæ Dominus contulerit potestatem Dæmones ex hominum corporibus eiiciendi.

I NOn tam hîc, quæritur. Quare Dominus, missurus Apostolos ad Euangelium prædicandum ipsis Dæmonia eiiciendi facultatem tradiderit; quàm, *Propter quam causam voluerit in sua Ecclesia, perpetuis temporibus, esse hanc potestatem.* Prioris forsitan pauciores; huius plures sunt causæ: quæ, quia illias suo ambitu complectuntur, hoc loco solùm referendæ sunt.

Poſſunt autem hæ, vel ex patre eius, qui hanc potestatem Eccleſiæ contulit: vel eorum qui poteſtatem exercent: vel eorum, qui à Dæmonibus liberantur: vel etiam ipſorum, qui ex Obſeſſis eiiciuntur, Dæmonum conditionibus peti. 2

Christo potiſſimum erat propoſitum initio naſcentis Eccleſiæ Euangelium ſuum mũdo perſuadere. Ad quod cum maximis machinis opus eſſet: non debuit Dæmonum eiectio, quam magni miraculi loco omnes babent, (quemadmodum alias oſtendimus,) prætermitti. 3

Et quamuis aliis etiam rationibus; ſed tamen imprimis Dæmonum eiectione. Euangelij virtus erat confirmanda: vt vel hinc intelligerent mortales, Dæmonum regnum Christi doctrina diſſolui; & à Dæmonum poteſtate credentes in filios DEI vindicari. 4

Quocirca mirum videri nõ debet; quòd in hoc miraculi genere ſe plus Dominus occupauerit; pluribus etiam hic rationibus ſit vſus. Et quibus quæſo? Quoſdam ſibi vltro oblatos liberauit nihil ab ijs exigendo: ab alijs exegit fidem Quoſdã itẽ abſentes, ad aliorum petitionem, curauit, vt filiam Chananeæ: Nõnullos ſibi per occaſionem obuios factos. Sic alijs cum ipſorum aliquo incommodo ſubuenit: quibuſdam cum aliorum detrimento. Nonnullos etiam Dæmones eiecit imperando ſilentium: alios exigendo nomen ipſorum, &c. 5 *Luca 4.* *Marc 6.* *Matt. 15.* *Math. 8.* *Marc 9.* *Mate. 8.* *Luc 4.* *Luc 8.*

Voluit etiam hac ſpirituum eiectione Dominus Virtutem ſuam mundo probare: atque ſe eſſe verum Deum demonſtrare. Hinc ipſe quodam in loco: *Opera*, inquit, *quæ facio, illa teſtimoniũ perhibẽt de me*. Nec leue hinc argumentum ſumitur. Cum 7

enim

enim summa Dæmonum potestas sit: nec vlla quę cum ipsorum conferri valeat: profectò quando ad Christi imperium profligantur: ipse omnibus superior esse conuincitur.

Et Christi diuinitatem egregiè confirmabat
7 partim modus, quem in Dæmoniis eiiciendis seruabat; eiiciebat plerumque verbo, partim multitudo expulsorum; qui aliquando *6666.* fuerunt. Præterea Dæmonum trepidatio atque angustiæ, qui se torqueri magis clamoribus testabantur: & quod non per ipsum solùm; sed & per alios, in suo tamen nomine Dæmonia eiicerentur. Denique quod vel sola sudaria atque semícincta eorum, qui ipsius essent Discipuli, ad Spirituum expulsionem valerent.

8 Et profectò mirabiles de Christo, in Iudæorum animis, opiniones excitabat Dæmonum per ipsum facta proscriptio, Nam & hanc obstupescebant: & cæteris eius, quantumuis magnis operibus præferebant: & ex eadem Christum esse Messiam sibi bene videbatur concludere. Quæ dicimus, populi acclamationes, haud obscurè indicant. Primum illud, hæ: *Quid est hoc? quod est hoc verbum? quænam doctrina hæc noua?* alterum sequentes: *Nunquam sic apparuit in Israel.* tertium istæ: *Nunquid hic est filius Dauid? Messias?* Marc. 1. Luc. 4, &c.

Hæ pręcipuè Christi temporibus fuerunt cau-
9 sæ. Ad has accedit, quòd hac ratione *suorum amicorum sanctitatem & integritatem mundo voluerit innotescere Dominus.* Neque enim paruum sanctitatis testimonium est, quod ex Spirituum eiectione sumitur: præsertim si in vita, quod reprehendatur

depre

deprehendatur nihil: multa etiam sint: quæ laudem & commendaotinem mereantur. Hæc ratio in sancto Hilarione locum habuit: de quo sic B. Hironymus in Vita eius: *Latebat*, inquit, in Cypro insula Hilarion. Cæterùm vix ad plenum viginti transiere dies, cùm per omnem Insulam quicunque immundos habebãt Spiritus, clamare cæperunt, venisse Hilarionem, seruum Dei, & ad eum se debere properare. Hoc Salamina, hoc Curium, hoc Lapetha, & vrbes reliquæ conclamabant. Inter triginta igitur, nec multo amplius, dies ducenti fermè tam viri quàm mulieres ad eum congregati sunt, qui omnes ab eodem curati. Hæc Hieronymus.

Eadem ratio locum habuit in Triphone, cuius res gestas describit Metaphrastes 7. Februarij. Nullo loco is habebatur, Pastor erat anserum. At postquam per Dæmonem, qui Gordiani Imper. filiam torquebat, significatum est, se nullo modo, nisi Triphone imperante, domicilium suum desertu(rum), Triphon qui latuit, cœpit innotescere, ad Imperatoriam aulam vocari: tum hoc nomine haberi in honore; tum magis illo quòd etiam ante eius aduentum fugam obsidens Dæmon cæperit.

Eadem locum habuit in S. Remigio. Voluit hunc mundo celebrem reddere Deus, sed quo modo reddidit? depulsione maligni Spiritus quem S. Benedictus profligare non potuit: Rem totam breuibus in Vita Remigij Hincmarus describit.

Eadem in S. Ciriaco, cuius virtutem agnoscere publicè professi sunt Dæmones, quemadmodum

dum docet Surius, Tom.4 in Vita ipsius.

Eadem denique locum habuit in S. Geneuofa, cuius tum imprimis cœperunt mirari & predicare virtutem: posteaquā ipsi Turonū ingredienti si Energumenorum occurrit multitudo, magis vocibus clamantium, *gemiose incendio torqueri*: scilicet: & præsentia S. Virginis, & reliquijs S. Martini. Apud Surium Tom.1. in eiusdem Vita.

Sed quod dicimus clariùs demonstrat exemplū S. Sabini, qui S. Marciani fuit discipulus. Ostensus est hic in visione cuidā mulieri Antiochenæ prædiuiti; sed & nobili; sed quæ ob filiam à Dæmonio obsessam, nō parùm affligebatur. Ita verò ostensus est: vt intelligeret per hunc filiæ posse restitui incolumitatem. Quid igitur? aduolat ad monasteriū, visionem exponit; virum sibi exhibitum postulat; nihil de sanitate filiæ dubitans. Prodit primū Monasterij præfectus: sed vbi alium (quem describebat) sibi exhibitum dixisset, & is vocatus accederet: (Sabinus is erat) protinu, illa faciem agnouit; & filiam obsidens Dæmon reliquit. Vide Theodoretum, Sect 4. Historiæ sanctorum Patrum.

10 Cùm hac causa, alia affinitatē habet; quòd Sāctorū virorū honorē Dominus rem hanc valere velit. An ignoramus Deo positum esse: vt in hac etiam mortali vita, honoribus prosequatur eos, qui ei ministrant, & voluntatem promptè exequuntur? Quantus verò hinc ad Sanctos honor redit: dum nunc ad ipsorum imperium (quando in viuis erant) Dæmonia profligata: nunc (postquam ex hac vita discesserunt) ne puluerem quidem ipsorum illa ferunt; nunc etiam ad solum Sanctorum nomen exhorrescunt, & trepidant?

Voluit

Voluit etiam hac potestate Deus *Obsessis hominibus consultum esse.* Quamuis enim animarum præcipuè sit medicus, & animarum salutem ante omnia quærat: corporum tamen, curam non omnino deponit: (etiamquæ illis aduersa sunt molestiæ a Spiritus allatæ) pro humanitate sua, & erga humanum genus beneuolentia, tollit: & tantò magis ab ipso hic auxilium erat expectandum, quòd solus ipse iuuare posset. 11

Hominis dignitas quoque hinc potest deprehendi, & summus Dei erga ipsum amor & beneuolentia. Quomodo verò? Subiecerat homini, initio conditi orbis, vniuersam corpoream creaturam. In orbis recreatione, & restitutione eidem etiam in spiritualem creaturam confert potestatem: *potestatem*, inquam, *calcandi super serpentes, scorpiones, Dæmonia* Nonne hæc magna hominis dignitas? 12

Præterea ad *splendorem atque ornatum Ecclesiæ,* quam maximopere Christus dilexit, facit hæc Ecclesiæ communicata potestas. Sic scilicet nullum armorū genus ipsi patitur deesse. Nō tantū voluit instructam esse spiritualibus illis præsidijs, quibus animorum lucra & commoda habentur, (Sacramēta loquor) voluit quoque ornari potestate, qua Dæmonia valeret ex humanis corporib. exigere. 13 Ephes. 5.

Possunt & hinc mortales intelligere, si quando peccant, *non Dæmonibus peccati culpam tribuendam esse, sed sibi.* Esto circumeant, *Vt Leones,* Dæmones: retia vbique ponant: struāt insidias: superior tamē ipsis est homo, cuius hoc magnum argumentum, quia etiam inuitos suis sedibus pellere potest. 14 15

Denique valet hæc potestas *ad confundēdos Spiritus.* Quàm est grauis ignominia, si potentissimus 1. Pet. 5.

Dux

Dux à ſordido,& pannoſo vincatur? arce ſua adque domo pellatur? priuetur poſſeſſione & bonis? Quantà verò Dæmonum potentia? Sed tamen Chriſtianus aliquis miles, quamuis nnllo loco, in mundo, habeatur, verſetur cum beſtiis terræ, ieiunio & inedia ſit exhauſtus, poteſt nihilominus verbo Dæmonibus exilium imperare: poteſt inuitos ſedibus ſuis pellere.

Atque hanc ego cauſam eſſe exiſtimo, cur plurimi Dæmonum, ne hanc confuſionem ſuſtinerent, ex hominum corporibus prius diſceſſerint: quàm ad Dæmoniacos, Sancti Dei hommes, expulſuri Spiritus, acceſſerint. Ita ille, qui Gordiani Imper. filiam torquebat, quamuis aſſereret à nullo ſe, niſi Triphone, expellendum, poſtquam tamen Triphonẽ ex vico Phrygiæ, Camaſde dicto, aduentare intellexit, in fugam vltro conuerſus eſt: teſte Metaphraſte. 1. Februar. Ita de integra Spirituum legione, quæ ædoleſcentem torquebat (eius in Vita S. Arnolphi fit mentio) refertur: quòd quamuis miſerum agitaret, vt vinculis neceſſe eſſet conſtringere, ne vel ſibi, vel alijs crudeles manus inferret: mox tamẽ, viſo Sancto viro, euanuerit, hominémque liberum reliquerit. Vide Liſiandrum, Epiſcopum Svveſſionenſem, in Vita Arnolphi, cap. 24.

Et hanc cauſam etiam eſſe dixerim: cur alij graues quidem fuerint mortalibns miſeris, eóſque mirum in modum cruciarint: ſi quando quod expellendi eſſent, ſibi timerent: in præſentia autem Sanctorum hominum à quibus eiiciendi erant, ſilentium ſimularint, ſummámque pacem Obſeſſis reliquerint: quia, ſcilicet, homines obſidere

vide

videri nolebant:ne proditi, cum ignominia pellerentur. Quàm fuit nobili viro molestus ille, cuius in Vita S. Svviberti meminit Marcellinus? cap. 20. Lacerabat vestes: morsu, quos poterat, petebat: ore spumabat: dentibus frendebat. Verùm postquam ad eundem appropinquauit Svvibertus: nullam molestiam afferebat. dixisses Obsessum, Obsessum non esse: lupum sub ouina pelle.

CAPVT. XXXVII.

Penes quos sit potestas Dæmones eiiciendi: quam suæ Ecclesiæ Christus Dominus reliquit.

SEquitur vt *penes quos sit potestas Dæmonia eijciēdi* 1
definiamus, Quod dum facimus: simul, quid in ijs, qui hac potestate legitimè, & cum fructu vti volunt, requiratur, discutiendum est.

De sola verò *Christi*, quam ille mortalium generi in Ecclesiæ suæ commodum reliquit, sermo est. Etenim si de vniuerso genere loquendum sit dubium non est, quin & penes Deum illa sit. & penes Angelos: & etiam penes quosdam ex ipsisimet Nequam Spiritibus.

De *Deo* res clara est *In manu eius sunt omnes fines* 2
terræ, In ditionē eius omnia posita. Omnia eius imperio parent. Qui factus est vt nullum timeat, Deum timet. Quemadmodum Deus omnes res ex nihilo creauit: ita omnes in nihilum potest redigere: ita loco mouere: ita sedibus suis exturbare.

Angelos bonos in malos habere imperium do- 3
cent B: Augustinus: & B. Gregorius. Augustinus

sic loquitur, Lib. 3. de Trin. cap, 4. Spiritus vitæ desertor, atque peccator regitur per Spiritum vitæ rationalem, pium & iustum. Georgius docet virtutis aduersas (quarum nomine Dæmones intelligit) *subiectas esse Angelis, qui Potestates dicuntur.* Quod si ita est, quidni possent eosdem sedibus suis eijcere? Sed & Raphael Asmodæum in AEgypti fines fugauit, atque, ne vnquam ad Saram rediret: mandauit. & alius quidam deterrimum Spiritum misit in desertum, vbi nulla hominum frequentia: quemadmodum in Vita S. Thomæ refert Abdias.

4 Et omnes quidem, etiam inferiorum Ordinum Angeli, quoscunque Ordinum superiorum Dæmones eijcere valent. Qui inferiores sunt ordine naturæ, inquit S. Thomas. 1. p. q. 109. art. 4. ad 5. præsunt Dæmonibus, quamuis naturæ ordine superiorib. quia; addit, virtus diuinæ iustitiæ, cui Angeli boni inhærent, prior est, quam virtus naturalis Angelorum.

5 Possunt & *mali* malos Spiritus pellere: socij socios, Nequam Nequam. Neque enim omnes æqualium sunt virium. Qui superiores sunt Ordinibus: superiores sunt viribus. Qui sunt inferiores, viribus minùs valent. Quocirca & hi illis coguntur cedere & illi hos possunt, si modò volunt, sedibus deijcere vt superius assertum est. cap. 16.

7 Cæterùm de his nostra disputatio non est. *De hominibus* est quæstio. Quærimus, *Quibus hominib. potestas, quàm Christus in mundum inuexit, communicata sit*: omnibusve, an certis? Et si certis, quibusnam illis? Atque hoc præcipuum hic caput est.

8 Porrò, si ex vsu potestatis rem voluerimus definire, atque exemplis niti, quæ Nouum Testamentum

tum ſuppeditat *tres* hominum claſſes conſtituere neceſſe erit, iam ſæpe dicta facultas communicata eſſe videri poſſet: Si verò non exempla, ſed Chriſti orationem conſulamus, duas tantùm reperiemus.

9 Expulerunt Dæmonia Apoſtoli, & Diſcipuli Domini. Id ipſorum oratio teſtatur: *Domine*, in- Lucæ 10.
quiunt alicubi, *etiam Dæmonia ſubijciuntur nobis*. Expulerunt, qui Chriſti fidem complexi erant, quãuis in Chriſti, vel Diſcipulorum, vel Apoſtolorum non eſſent ordine, Neque enim fruſtra à Domino dictum eſt: *Signa eos, qui crediderint hæc ſequentur: In nomine meo Dæmonia eijcient.* Expulerunt etiã, qui Mart. vlt.
nec in diſcipulorum eſſent numero: nec inter fideles haberi vellent: vt Apoſtoli Ioannis hæc oratio probat: *Præceptor, vidimus quendam nomine tuo eijcientem Dæmonia, & prohibuimus eum quia non ſequitur nobiſcum.* Luc. 9.

10 Verùm his omnibus, Chriſti oratione, aut promiſſione, poteſtas collata non erat. Hoc in tertio horum genere manifeſtum eſt; qui quamuis Chriſti nec diſcipuli eſſent, nec doctrinã profiterentur; cum Chriſti tamen nominis inuocatione, vt alios factitare videbant, Dæmonia expuliſſe videntur.

11 In horum numero fuerunt Exorciſtæ, quorum Actuum Apoſtolicorum Hiſtoria meminit: qui circumeuntes, ſuper eos, qui Spiritus malos habebant, *nomen Domini Ieſu, quem Paulus prædicabat, inuocabant.* Sed tamen non eandem hi cum prioribus illis fortunam experti. Illis paruerunt Dæmonia; & ſedes ſuas reliquerunt: hos veſtibus ſpoliatos, & egregiè pulſatos conuerterunt in fugam.

12 Duobus igitur hominum generibus hanc à Christo Potestatem dicamus esse communicatam viris Ecclesiasticis, siue Deo consecratis; quos Christi discipuli referunt, & hominibus Laicis, siue qui nullis sacris Ordinib. sunt initiati, quales haud pauci initio nascentis Ecclesiæ fuerunt.

13 Pro vtrisque sunt Sacrarum Spripturarum testimonia. Pro priorib. dicitur: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem potestatem Inimici.* Pro posterioribus quod inter *signa quæ credentes dicuntur secutara*, numeretur Dęmonum eiectio.

14 Atque ita se res habuit initio nascentis Ecclesiæ. Id multis exemplis Apostoli; id multis, quicunque ferè Christi fidem susceperunt, demonstrârunt. De Apostolis res certa est: reliquis Christianis testimonium dat Tertullianus; qui & à *militibus* testetur eiectos immundos Spiritus: De Cor. Mili. cap. 11. & *parentes* docet solitos exorcizare proprios filios: de Idol. cap. 11.

15 Sed & multa passim exempla inueniuntur in Maiorum Annalib. Triphon pastor fuit anserum, sed Dæmonibus terribilis, quinimò, qui Gordiani Imperatoris filiam obsidebat, ausus est dicere, non se à filia exiturum, nisi Triphonis exorcismis cogatur: Metaphrastes in Triphone. Sic celebris ille Archimandrita Theodorus: cùm puer adhùc esset modum etiam Dæmones exigendi ignorares; flagello, vt docebatur, eosdem expellebat: quemadmodum de eodem scribit Georgius Præsbyter, ipsius discipulus, in Vita Theodori.

16 Voluit, suspicor, initio nascentis Ecclesiæ Dominus hanc esse communissimam potestatem: vt

sic

ſic plurib. argumentis, veritas fidei Chriſtianæ, quę mundo, tanquam noua lux, inferebatur, commendaretur: vt intelligerent homines, Dæmonum regnum Chriſti aduentu diſſolui: & omnino neceſſitatem ſibi incumbere, deſerta infidelitate Chriſtianam complectendi fidem.

Fuiſſe tamen peculiare munus ordinis Eccleſiaſtici ad hoc opus inſtituti, ſanctorum Patrum aſſertione exploratiſſimum eſt; & imprimis Ignatij Apoſtolorum diſcipuli, qui inter cæteros Eccleſiaſticos ordines, & officia, recenſet Exorciſtas. Et Cornelius Papa, ſcribens ad Fabium Antiochenũ in Romana Eccleſia dicit eſſe inſtitutos Exorciſtas, & Lectores; vnà cum Oſtiarijs, quinquaginta duos: Concilia præterea Romanum, ſub Sylueſtro Laodicenum, Carthaginenſe IIII. inter Eccleſiaſticos enumerant Exorciſtas; ſicut & B. Hieronym. in Epiſtola ad Titum, cap. 3. ſcribens. Inſuper in prædicto Laodiceno ſtatutum eſt. Ne, qui non ſunt ab Epiſcopis ordinati, tam in Eccleſijs, quàm in domib. exorcizare præſumant: Imò, ne quid ſuperſtitionis in Exorciſmos irreperet, conſtitutum eſt: vt ordinandus exorciſta, de manu Epiſcopi, libellum acciperet. in quo ſcripti eſſent exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo: Accipe, & commenda memoriæ: & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenum ſiue baptizatum, ſiue catechumenum: vt patet ex antiquis Eccleſiæ Ritualib. libr. & Cõſilio Carthag. 4. cap. 7, Vide Baron. To. 1. Anno Chriſti 56. 17

Porrò non ita fuit initio naſcentis Eccleſiæ hæc poteſtas apud Laicos, vt poſteriorib. ſeculis illa ijdem caruerint: quemadmodum nec ſolùm propa- 18

grandæ fidei caussa potestas illa collata fuit. Quibusdam est tributa in signum excellentis sanctitatis vitæ, morumque integritatis: quæ quia posteriorib. temporib. etiam in hominib. laicis claruit: mirum non est, si posteriorib. temporib. quoque potestatem Spiritus Nequã exigendi habuerint homines, sacris ordinib. non initiati. Possunt pro huius confirmatione exempla plura produci; sed clarissima quædam sũt sexus fœminei, in quib. sacer Ordo locum non habet. Hic primùm se offert S. Brigitta vidua: quæ in inuidia primò Ioannem Scoborinũ, qui apud Ostrogottos iuridicendo præerat: tum deinde suum cursorem, tertiò etiã quandam fœminã, ab infestatione Dæmoniaca liberauit. quemadmodum videre est apud Surium To. 4. fo. 350. Est deinde Catarina, Virgo Senensis: quæ teste Raimũdo, in eius Vita, signo Crucis Spiritũ eiecit. Est tertiò S. Genouefa; quæ & plurimos curauit: & à Dæmonib. testimonium accepit, quòd grauem sua pręsentia ipsis afferret torturam. Surius To. 1. in Ianuario. Est quartò Anatolia Virgo: quæ Demoniacum, Anianum nomine, Diodori, viri consularis filium, qui se eius precibus incendi clamabat, afflauit, & à Spiritu obsidente liberauit. Surius To. 4. fol. 154. Plures referre necesse non est.

CAPVT XXXVIII

De Exorcistarum varijs conditionibus.

1 MAgnum est, & arduum opus Dæmones ex humanis corporib. eijcere. Omnium id opinione, & consensu certum est. Hinc Apostoli: *Domine*

mine, inquiunt admirabundi: *etiam Dæmonia subijciuntur nobis*. & ad Apostolos Dominus: *Ecce*, inquit *dedi vobis* (rem non vulgarem & leuem) *potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem potestatem inimici*. Et in magnam suspitionem sanctitatis atque diuinitatis Christi, pleriq; Iudæorum venerunt ex eo; quòd obseruarent ipsum Dæmonia verbo expellere. Lucæ verò. 9. in hanc vocem; cum stupore, proruperũt: *Nunquid hic est filius Dauid?*

Itaq; quemadmodum ad res omnes arduas perficiendas, multa necessaria sunt: ita haud paucà ab his requiruntur, qui humana corpora à Dæmonib. liberare tentant. Quæ verò hæc sunt? quibus hìc opus machinis? quibus præsidijs? 2

Si vrbes essent expugnandæ, aut arces: tormenta bellica adhiberi possent: Si regno pellendus Tyrãnus aliquis: militum copia opus esset: verùm quoniam non hìc arces expugnandæ; nec Tyranni, qui sub aspectum veniunt, pellendi, sed cum Spiritib. potentissimis bellum suscipitur, aliæ adhibendæ sunt machinæ, alia tormenta: quam quibus muri quatiuntur: aut Tyranni pelluntur. 3

Sed tamen hoc cum illis commune habere debent Machinæ, quæ ad profligandos Dæmones adhibentur: vt hosti sint aduersæ, & contrariæ: illas ipse oderit: non sustineat. Etiam hìc locum habet quod dicitur: *Contraria contrarijs pelluntur*. 4

Hinc intelligimus iustissimas esse, quæ in exorcistis, si quando hoc certamen ineunt, postulantur cõditiones. Petitur, vt conscientiã exomologesi peccatorum mundent, vt orationi instent: vt corpus ieiunio affligant: vt magnam animi submissionem ad hoc opus afferant; vt Dei amore flagrent 5

& bene de diuino adiutorio ſperent, &c.

Iuſtiſſimæ hæ ſunt conditiones. Nam & Dæmonibus inuiſæ ſunt, & magnum ipſas robur habere ad Dæmonum vires frangendas operáque diſſoluenda: tum exemplis: tum rationibus: tum
7 etiã Chriſti grauiſſima authoritate poteſt probari.

Confeſſio peccatorum mundam parit conſcientiam & vitæ affert ſanctitatem. His quid magis immundis Spiritibus inuiſum? An non hoc exempla eorum probant, ad quorum pręſentiam, nunc in Idolis obmutuerunt; nunc ſe torqueri confeſſi ſunt nunc etiam, quæ multis annis Idola inhabitarunt, reliquerunt?

8 *Oratione* fugari authoritate docetur Chriſti: qui
Ioan. 10 orationem ad *omnia* à Deo obtinendum, maximũ certiſſimumque præſidium eſſe aſſeruit. Sed tamen
Lucæ. 9. Orationis in hoc negotio neceſſitatem & virtutem maximè declarat: quòd dicitur *quoddam Dæmoniorum eſſe genus, quod niſi Oratione, non eijcitur*. Hinc eſt, quòd quando ad Dæmones profligandos Sancti viri accedebant, & ipſi ſe ad Deum per orationem conuerterint: & aliorum pro Obſeſſorum incolumitate preces poſtulauerint, quemadmodum poſtulauit præſentis populi S. Bernardus: cum Mediolani in templo, ſub ſacrificio Miſſæ, expulit illũ, cuius cap. 46. fit mentio: & ſociorum ſuorum S. Svvibertus; quando Edelherum, virum potentem, in nomine Chriſti à Spiritu liberauit, teſtę Marcellino in eius Vita, cap. 20. Omitto alios: Quid quod ipſe Diabolus in Aniano filio Diodori, viri conſularis clamauerit ſe incendi precibus Anatoliæ? Apud Surium Tom. 4. fol. 154.

Non minores ſunt vires *Ieiunij*, & hoc Chriſti pro

probat auctoritas. Orationi enim *Ieiunium* adiun- *Luc. 9.*
xit, & vtrunque docuit eſſe medium neceſſarium
ad illos Spiritus propulsādos; quos ex miſeri cu-
iuſdam hominis corpore Apoſtoli eiicere nequi-
uerunt. Neque enim Apoſtoli tum, vel ob multā
orationem, vel ob frequens ieiunium, erāt com-
mendandi. Probat hoc Phariſæorum apud Chri-
ſtum expoſtulatio. *Quare*, inquiunt, *Diſcipuli Ioā-
nis ieiunant frequenter, & obſecrationes faciunt, tui
autē diſcipuli non?* Hoc ieiunij præſidium aſſum-
pſit S Nicetius Lugdunenſis Archidiaconus. Vo-
catus enim ex Galliis Romā, vt Leonis Romani
imperatoris filiam ab obſidente Dæmone libera-
ret, opus hoc arduū aggredi noluit, niſi poſt con-
tinuatum, cū vigiliis & orationibus, triduanum
ieiunium. Itaque quarta die per inuocationē di-
uini nominis: & Crucis vexillum, immundū Spi-
ritum feliciter à corpore puellæ depulit. Ita Gre-
gorius Turon. de Gloria Confeſſ. cap. 63.

Sic vt in aliis rebus omnibus, ita hîc plurimū 10
valet *animi ſubmiſſio & humilitas.* Cùm enim ſu- *Prouer. 8.*
perbiſſimi ſint Spiritus; eos, qui de ſe humiliter *Pſal. 144.*
ſentiunt, ferre nulla ratione poſſunt. Sed & Deus
eorum vult confundi ſuperbiam: dum potentiſſi-
mos arrogātiſſimóſque per eos, qui ſe nihil poſ-
ſe, & eſſe exiſtimant, profligat, & ſedibus pellit.
Egregiè hoc quidam probauit victus humilitate
& patientia S. Iordani. Poſtquam enim huic Dę-
mon per Obſeſſum alapam inflixiſſet, & ille alte-
ram maxillam ſubitò præbuiſſet; confuſus ſuper-
bus Spiritus, mox reliquit Obſeſſum. Ita in Vita
Iordani Dominicani, per Leandrum Albertum
Bononienſem, apud Surium Tom. 7.

Sed & Dæmonum nobis hic suffragatur confessio. Adduxerant quidam Obsessum adolescentem, ad S. Antoniũ, spe incolumitatis recuperandæ. Hic vt cognouit potentiorem esse Spiritũ, quàm vt à se possit eiici; cum eodem ad Paulum Simplicem, virum magnarũ virtutũ properat: & postquã afflictũ Sãcto cõmẽdauit ad propriã cellã reuertit. Quid Paulus? *Imperat tibi Antonius* (dicebat immundo Spiritui) *vt egrediaris.* Mouetur dictis nihil Spiritus. Tũ melotã, qua inditus erat, assumens, & illa dorsum Obsessi verberans: rursus priorem orationẽ repetit, inquiens: *Dixit Abbas Antonius: Egredere ab homine.* Sed nec quicquã mouetur Diabolus. imò insolescit magis. Tãdem ille Paulus. *Aut exibis, aut abeo, vt id dicam Christo isque faciet, vt tibi sit væ.* Et ad orationem conuersus, Christum pro adolescentis incolumitate precabatur. Mox Spiritus magnis vocib. *Recedo: discedo ab homine: non amplius ad eum accedo. Pauli Simplicitas & Humilitas me expellit.* Hæc Palladius in Sanctorum Patrum Historia: Sect. 25.

Hinc est quoque, quòd humiles aliquando ingredi reformidarunt Spiritus. Permittebat Dæmoni, quem iam erat expulsurus, S. Parthenius, vt aut se, aut humilem ingrederetur: verùm neutrum tentauit superbus: sed edito magno clamore discessit.

11 Habet etiam hic locũ *flagrans Dei amor*: Quid potest Deus negare amore sui flagrantibus? *Diligentes se diligit. Voluntatem timentium se facit.* Quantus igitur amor Dei affertur: quanta reuerentia: dum quis Dæmones tentat eiicere: tanta vis Dæmonibus videtur afferri.

Deni

Denique omnibus necesse est, vt *spem* habeant 12
Exorcistæ, & de Dei præsentia, eiúsque auxilio
pe præsumant. Quid, quæso, quis aggreditur, qui
omnem rei conficiendæ spem abiicit? At vbi ho-
stis magnos aduersariorum animos obseruat; &
trepidat, & spem victoriæ aduersariis præbet. Et
quia hac spe atque fiducia aliquãdo destituti fue-
runt Apostoli: frustra Spiritum quendam ab ho-
mine eiicere tentârunt: illum scilicet, cuius men-
tio fit Matth. 17. Docet id Domini responsio ad
ipsorum interrogationem facta. *Quare,* inquie-
bant, *nos non potuimus eiicere illum?* Respondet
Dominus: *Propter incredulitatem vestram.* Vide
Tostatum quæst. 152. in 17. Matth.

Cæterũ spes atque fiducia hæc nõ nostris me- 13
ritis & viribus: sed Dei potentia & bonitate niti
debet: fieri alioquin posset, vt expulsurus Spiri-
tum immundum, non modò parum efficeret,
sed se quoque præsenti periculo vexationis dia-
bolicæ obiiceret. Certè Beatus Gregorius, li-
bro primo Dialog. cap. 10. ostendit à Dæmonio
obsessum esse, qui, vt ipse loquitur, *aliquid vltra
vires suas* in Dæmonis expulsione tẽtare est ausus.

Hæc cùm ita sint, optimè dixisse iudicandus
est B. Antonius: Mihi credite, fratres, pertimescit
Satanas piorũ vigilias, orationes, ieiunia, volun-
tariam paupertatem, misericordiam, & humilita-
tem; maximè autem ardentem amorem in Chri-
stũ Dominũ. Hęc de Anton. Athan. in ipsius vita.

In eandem sententiam, & iisdem propemodũ
verbis locutus est Sanctus Remaclus, Episcopus
Traiectensis, qui Anno Domini 85 . claruit. Sa-
tanas, inquit, pertimescit initia rectè viuere insti-
tuentium

tuentium vigilias, orationes, ieiunia, mansuetudinem, patientiam, volũtariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatem, misericordiam: sed præcipuè purum erga Christum amorem. Hæc in eius vita Notgerus.

14 Ex dictis colligitur iustas ob causas, viros etiam sanctitate illustres difficulter adduci potuisse, vt operam suam miseris, & obsessis hominibus in Dæmonum eiectione, locarent: quia scilicet, illa, quæ in hoc genere plurimum possent, nõ sentiebant in se esse, præsidia. Sanctus vir fuit Laurentius Iustinian⁹, Patriarcha Venetus: sed rogatus, vt Dæmonem a muliere expelleret: *Ne petatis*, inquit, *à me, quod præstare non possum.* Ita Bernardus Iustinianus in Laurentij Vita, cap. 8.

Eodem modo respõdit Gregorius Lingonensis, & ipse sanctissimus Episcopus, teste Gregor. Turon. in Vita ipsius, cap. 7.

Eodem modo B. Remigius iis, quos ad ipsum cum Energumena misit S. Benedictus: quemadmodum in vita S. Remigij scribit Hincmarus.

Eodem modo Nicetius Lugdunensis Archidiaconus, teste Turonẽsi Gregor. de Gloria Confessorum, cap. 63.

15 Colligitur ex iisdem omnem leuitatem procul, ab hoc Dæmonia eiiciendi opere, abesse oportere: nec conuenire, vt Exorcistæ quidquam aut agant aut loquantur, quod risum excitare valeat, & ad rem non pertineat. Doceri aliquorũ exemplis potest obfuisse ipsis plurimum verbum leuiter prolatum. Vide cap. 11. Formicarij Ioannis Nider.

CAPVT XXXIX.

Num puritas conſcientiæ in Exorciſtis neceſſaria ſit: ſi Spiritus ex humanis corporibus eiicere debeant.

EX iam dictis haud obſcurè colligitur, *plurimū expedire, vt qui Exorciſtarum officio funguntur, & Dæmones eiicere tentant, vitæ ſanctitate polleant,* & nulla lethalis peccati conſcientia grauentur. Nam ſi iam dictæ machinæ per ſe magnum impetum facere poſſunt; quantum poterunt cōiunctæ cum ſanctitate, & vitæ innocentia? 1

Et hoc egregiè probant exempla eorum per quos Dęmonia legimus eſſe eiecta. Pleríque omnes egregia ſanctitate claruerunt. Et in virorum genere hic ſeruiunt Triphon, Laurētius Iuſtinianus, Bernardus, Columbanus, Gregorius Lingonenſis, Remigius Remenſis, Benedictus, & alij in genere mulierum Genouefa, Catarina Senenſis, Euphraſia, Brigitta, Hildegundis, &c. 2

Quid quòd ipſi Spiritus conqueſti ſint ſe Sanctorum pręſentia torqueri? Cùm S. Genouefa virgo Turonum, S. Martini Reliquias viſitatura, ingrederetur; turba Energumenorum, quā obuiam habuit, clamare cœpit, ſe *gemino incēdio* torqueri: eò quod Sancta Sancti Antiſtitis aulam (eccleſiā S. Martini) ingrederetur. Surius Tom. I. *Sic ſe torqueri* clamabat, adeóque facultatem egrediendi precabatur Ille, qui ad Theodorum Archimandritam adductus fuit; & ne loco ſe moueret, ab eodem mandatum accepit. Hoc Gregorius preſbyter, in Vita Theodoti. Et quando S. Germanus Antiſiodorenſis Epiſcopus, Italiam eſt ingreſſus, 3

ex con

ex cõferta turba clamabat Dæmoniacus: *Cur nos in Italia, Germane, perſequeris, ſufficere debuit, quòd propter te pacem in Gallia habere nequiuimus.* Ita Conſtantinus presbyter, in eius Vita, lib. 2. c. 20. Et qui in muliere loquebantur Treueris Magnerico, Treuirenſi Epiſcopo (de quo nos cap 24.) conquerebantur, quòd *quotidianis S. Theodori incendiis* cõflagrarent: quocirca & plurimum laboraſſe, vt eundem Galliæ regno excluderent. Similiter cum ad baſilicã S. Victoris Maſſiliẽſis Martyris, adductus eſſet Aureliani Patritij ſeruus à Dæmonio obſeſſus, Martyris virtute ſe *exuri* magnis vocibus affirmabat: & poſtquam per ædem triduum eſſet debachatus, miſerum reliquit. Ita Gregorius Turonenſ. cap. 77. libro primo Miraculorum.

4 Quid quòd nec præſentiam Sanctorũ quidam expectare voluerint: ſed fuga priùs ſibi cõſuluerint, quàm à ſanctis hominibus, cum ignominia, eiicerẽtur? Certè qui filiam Imperatoris Gordiani vexabat: & ſe nõ niſi per S. Triphonem eiici poſſe iactitabat: antequam S. vir accederet, ſede ſua relicta, aufugit, teſte Metaphraſte in Triphone. Et Legio Spirituum, qui miſerrimè torquebãt adoleſcentem, cuius in vita S. Arnolphi, cap. 24. mentionem facit Liſiardus Svveſſionenſis Eccleſiæ Epiſcopus, mox in fugam conuerſi fuerant, vbi ſanctum virum ſunt cõſpicati. Similia lege apud

5 Theodor. lib. 7. cap. 37. Hiſtor. Eccleſ.

Quid quòd nec ad illa loca voluerint reuerti; vbi Sancti aliquando fuiſſent? De S. Gregorio Taumaturgo refert Gregorius Niſſenus, in ipſius Vita: quòd cùm ad vrbem ex ſolitudine tenderet: & nocte

& nocte præuentus aliud hospitium non haberet ad fanum quoddã Idolorum diuerterit. quo quãuis frequentes Dęmones comparere soliti essent, redire tamen noluerunt: postquam ibidem vnam noctem sanctus vir egisset.

Quocirca mirum videri non debet, quòd ad 6
sanctos homines olim confugerint: qui vel sibi, vel suis libertatem à Dæmonis carnificina postularunt: quoniam quemadmodum Deo hos sciebant esse chariores, ita sperabant eosdem Dęmonibus magis esse terribiles. Omnium ferè exempla, quæ hac Disputatione adduximus, quod dicimus, probant: sed præcipuè parẽtum puellæ Tolosanæ (quorum in Vita S. Remigij fit mentio apud Hincmarum) qui cùm Romæ agerent, solliciti pro sanitate filiæ: & multa de insigni sanctitate, vitæque, integritate S. Benedicti audissent: hunc præ cæteris, vt sui misereretur, importunis precibus rogauerunt.

Potest & hic nobis seruire ipsorũmet Spirituũ 7
confessio, vtique diuinitus imperata: qua sæpe se non nisi per excellẽtis sanctitatis viros expellendos testati sunt. Ethelherus quidam Paganus in villa Vellemberk fuit, vir nobilis: sed ob Dæmonis tyrannidem, quam patiebatur infelix. Cùm in eo à Dæmone liberando plures frustra laborassent: respondit Spiritus, se non nisi per Svvibertum, VVerdensis Ecclesiæ primum Episcopum, & Saxonum Apostolum expelli posse. Ita Marcellinus cap. 20. in vita Svviberti. Eodem modo respondit is, qui Gordiani Imperatoris filiam obsidebat. *Nisi*, dicebat post multos adhibitos Exorcismos, accesserit Triphon, non recedam.

Metaphr.

Metaphr.1.Februarij. Quod sequitur, ad verbum refert Gregorius Turonensis, de Gloria confessorum, ca.63. Leonis Imper. filia, cùm à Spiritu vexaretur immundo, & per loca sancta duceretur, assiduè clamabat Nequam Spiritus: Non hinc egredior, nisi Archidiaconus Lugdunensis aduеniat: & ipse me, de hoc vasculo, quod acquisiui, eiiciat.

8 Veruntamen *omnino necessaria non est vitæ sanctitas. Multi venient in extrema illa die, & dicent: Domine, Domine, Nónne in nomine tuo Dæmonia eiecimus?* &c. num idcirco hos ad cælestem Curiam admittendos censebimus? Sine errore non possumus. Dicetur illis: *Nescio vos.* Si Sãcti essent, excludi è regno Dei non possent.

9 Optimè dixit B. Cyprianus, de Vnitate Ecclesiæ circa medium, prophetare & Dæmonia excludere, & virtutes magnas in terris facere, sublimis vtique & admirabilis res est: non tamen regnum cælorum consequitur, quisquis in his omnibus inuenitur, nisi recti & iusti itineris obseruatione graditur.

10 Quocirca, & in sacris Scripturis legimus, fuisse quosdam, qui in Domini nomine Dæmonia eiiciebant: *nec tamen Dominum sequebãtur.* At hoc prorsus erat necessarium; si vitæ sanctitas omnino necessaria est. An qui Dominum non sequitur sanctus esse potest?

11 Quapropter nequaquam, tãquam paradoxum, reiici debet, quod Epiphanius aduersus Ebionitas scribens, Hæres. 30. refert de Iosepho, homine de Iudæo, quòd *necdum credens, in nomine Iesu à Dæmonio obsessum hominem liberauerit.*

Itaque

Itaque & Dominus non iudicabat gloriandum, 12
& gaudendum in hoc Apostolis: *quòd ipsis Dæmonia subiicerentur*: tum ipsos iustam materiam gloriæ existimabat habere, quando constaret ipsorum *nomina scripta esse in cælo*: significabat scilicet, fieri posse, vt etiam à regno Dei excludantur, qui Dæmonia eiicerent.

Scio magnum & prorsus diuinum esse opus, 13
Dæmonum eiectionem: sed diuinum quoque est opus donum linguarum: diuinum, donum sanitatum: diuinum, donum prophetiæ. An verò omnes à peccati laqueis absoluemus, quibus hæc diuinitus dona collata sunt?

Scire non potest homo, *Vtrum amore vel odio* 14
dignus sit. Ita, cum vniuersa antiquitate, tota per totum orbem profitetur Ecclesia. Quid verò? Si ad Dæmones ex hominum corporibus profligandos vitæ sanctitas necessaria est, quomodo non ijs, de gratia sua atque vitæ sanctitate certò debet constare; quibus constat quod Dæmones eiecerint?

Qui diuinorum Sacramentorum sunt adminis- 15
tratores, non necessario omnes puras habere debent conscientias. Verè Sacramenta administrare possunt, atque adeò verè administrant; quorum grauibus criminibus rea cõscientia tenetur. Quidni igitur Dæmonia valerent eiicere?

Sit ita, Dæmonum potestati sint subiecti, qui 16
in peccatis versantur: sed tamen quemadmodum iniquus Iudex non amittit potestatem iudicandi: ita iniqui Exorcistæ non facultatem Dæmones profligandi. Sunt subiecti Dæmonibus, qua peccatores; sunt Dæmonibus superiores, qua di-

uina virtute sunt instructi.

17 Non priuata est, nec mortalibus congenita Dæmones eiiciendi potestas, diuina est: Dei beneficio collata est. Quocirca multò est omni Dæmonum potestate superior. Quando igitur Exorcistis parent, & cedunt Dæmones, non Exorcistarum cedunt virtuti & innocentiæ; sed Dei imperio, voluntati, & potentiæ.

18 Non illa peccati vis est; vt mox, vbi cœperit habere locum, omnem potestatem destruat; & priuet omni, quam quis in alios habet, iurisdictione. Quid quæso, si hoc semel constituerimus, certum in Christiana Republica habebimus? quanta mox omnium rerum sequetur coufusio? Priuet peccatum Dei amicitia: indignos reddat omnibus diuinis & humanis beneficiis: his priuilegiis non priuat.

19 Hinc consequitur certum argumentum sanctitatis & innocentiæ alicuius ex hac re sumi non debere: atque plurimùm errare eos, qui ob hanc solùm causam Sanctorum Catalogo ascribendum aliquem censent, quòd in Dæmonibus eiiciendis excelluerit: Etiam in peccatis constitui Dæmones possunt eiicere.

20 Magnum nihilominus, *aliquando*, hinc sanctitatis argumentum sumitur: tum scilicet; quando non desunt alia sanctitatis indicia; casti integrique mores: vitæ austeritas; orationis studium; animi profunda submissio; & excellens diuinæ bonitatis amor, &c.

CAP.

CAPVT XXXX.

Num Exorcista Hæreticus, siue qui aliam, quàm Catholicam Religionem profitetur, Dæmones valeat eiicere?

FAcilè credet fieri posse, vt Hęreticus Dęmonia ex humanis corporib. eiiciat, qui ad Domini verba attendet. *Sic* enim quodam in loco loquitur; *Surgent Pseudochristi, & Pseudoprephetæ, & dabunt signa magna, & prodigia; ita vt in errorem, si fieri posset, ducantur etiam electi.* 1

Sed contrarium iudicabit, qui finem, qui in patrandis Miraculis Deo propositus est, velit attendere. Cùm ènim hîc sit Veritatis confirmatio; hostes verò Veritatis sint Hæretici; nulla ratione Deus ad Dæmonum expulsionem (quæ inter Miracula reponi potest) concurrere dicendus est: & ob id Hæretici nunquam Dæmonia eiicient.

Et ita se res habet. *Nunquam ab hominum corporibus, pellent Dæmones Hæretici, quandocunque, & quotiescunque, hoc tentabunt, vt doctrinam suam, quam profitentur, confirment.* Quod dicimus, præter iam expositum argumentum, *quatuor* ferè sunt, quæ probare videntur. 3

Primum *Christi oratio*, quæ Dæmonum electionem insinuat fidelium esse signum: *Signa*, inquit, *eos qui crediderunt hæc sequentur: In nomine meo Dæmonia eiicient*, &c. at in fidelium numero Hæretici non sunt. Dæmonia igitur, ex Christi sibi communicata potestate, profligare non valebunt. 4

Alterum est, *quod eos nunquam Dæmonia expulisse legamus.* Cū igitur illa vix fieri posse dicamus; quæ pręteritis temporibus nunquā facta sunt; Hæ-

reticos Dæmonia posse eiicere, idcirco, videmur rectè negare; quia nullo vnquam tempore illa eiecisse probatur.

6 Tertium est, quod sæpe *in Dæmonum eiectione ipsos illusos fuisse certis historiis doceatur.* Pro multis duas referimus. primam Staphilus in absoluta responsione, contra Iacobum Schmidelinũ, his verbis recenset, pag. 404. Possum ego, inquit, redigere mihi in memoriam, anno 1545. Dæmoniacam quandam puellam, è Misniæ ditione adductam VVittebergam, ad Lutherum; ea spe; quòd Lutherus, ceu tertius Elias, puellam istam à malo Dæmonio liberaturus esset. Quamuis autem Lutherus ad hoc admirandum, & magni momenti opus, initio non parum difficilem se ostenderet; at tandem tamen iussit puellam adduci in parochianæ Ecclesiæ VVittenbergensis Sacrarium: illicque coram aliis plerisque Doctoribus, & eruditis viris, (inter quos ego, tum quoque Magister iuuenis aderam) Dæmonem cœpit adiurare, & exorcizare, sed id tamen more suo, non eo, qui apud Catholicos receptus & vsitatus est. Cùm autẽ ille diu multumque adiurasset Dæmonem; cedere ille noluit: sed eas in angustias, sit venia verbo, Lutheri caligas redegit, vt is quam primum è Sacrario se proripere vellet: *At* quid accidit? Malignus ille Dæmõ vsque adeò fores Sacrarij obstruxerat; vt neque forinsecus, neque intrinsecus aperiri possent. Quæ res Lutherum in maiores etiam angustias adduxit; ita vt iam ad fenestram properaret, sperans per eam se posse effugere, & exilire. Verum obstabant illi Cancelli ferrei: sicque compulsus est vna nobiscum tantisper inclusus hærere, donec per cancel-

los ferreos ab Aedituo nobis oblata securis; mihique, ceu iuueni viro, tradita vt ea fores affringerē: quod equidē tum conatus sum, & ad effectū perduxi. Interea verò visu admirandum erat: vt Lutherus angoribus correptus, sursum deorsumque cursitaret, atque, instar quis parturientis, huc illucque se inuerteret. Hactenus Staphilus. Eandem rem post Staphilum, habet VVilhelmus Lindanus, Dialogo 3. ca. primo Dubitantij & Bredenbach. Collationum. libro septimo, cap. 40.

Altera historia Augustæ VVindelicorum accidit anno Domini, 1563. in filia Michaëlis Rossimanni ciuis Augustani, quam Theologiæ Doctor, & apud sanctum Mauritium parochus, Simon Scheibendardus Catholico ritu liberauit; postquam multa frustra tentassent verbi Ministri. Rem pluribus persequitur Bredenbachius lib. 6. Collat. cap. 42.

Quartum est, quod non in Dæmonum solùm eiectione, verùm etiam *in aliis; si quando quædam perpetrare voluerunt. Miraculis, nihil efficere potuerunt, & egregiè confusi sunt iidem Hæretici.* Pro hac re & vetera, & noua suppetunt exēpla. Vetera primum adducimus. Sub Honorico Catholicorum hoste, Cirola quidam Arianus Episcopus fuit; qui cum Catholicos, pro fidei suæ confirmatione. Miracula edere cerneret; ne ipsis inferior haberetur, hominem quendam quinquaginta aureis inducit, vt se cæcum ad tempus simulet; & postquam à Cirola iussus fuerit respicere, visum sibi beneficio Cirolæ restitutum esse publicè testetur. Quid verò? fiunt omnia. verum non fit. Iussus non respicit fictus cæcus. Iusto Dei iudicio 7

ex vidente fit cæcus; magno cum Cirolæ, & omnium Arianorum dedecore. Ita Gregorius Turonenſis, de gloria Sanctorum li.2.cap.3.

Alius quidam Epiſcopus Regis Leuuildi imperio inductus, idem tentauit; & eodem quoque euentu. vt idem habet Gregorius de gloria Sanctorum, lib.2.cap.12.& 13.

Auſus etiam eſt Polichronius, ad confirmationem ſectæ ſuæ, vltro apud ſextam Oecumenicam Synodum, in Trullo, polliceri; ſe mortuum vitæ reſtituturum: & non multo poſt allato cadauere, cùm virtutis ſuæ ſpecimẽ eſſet editurus,& diu mortuo inclamaſſet fruſtra, ab omni concione, vt vaniſſimus nebulo, excluſus eſt. Idem, fruſtra, tentauit Simon Magus, teſte Egeſippo, lib. 3. cap. 2.de Excid.Hier.

Voluerunt etiam Ariani, Valentis imperatoris infirmum filium ſanitati reſtituere; Verum tantum abeſt, vt reſtituerint; vt ex viuo mortuum fecerint: teſte Nicephoro, li. 11. cap.29. Idem Manichæo accidit, cùm Perſici Regis filium præſumeret curare, vt Theodoretus docet, lib.2.Fabul.cap. 21.Hæc vetera ſunt.

Adiungimus noua. Ioannes Caluinus Burlæum quendam Oſtunenſem, promiſſis vitæ ſubſidiis, induxerat, vt mortuum ſe ſimularet: Quid tandem? cùm ex compoſito per Caluinum reſuſcitandus eſſet; diuina vltione percuſſus, verè mortuus aparuit. hoc Hieronymus Bolſecus, in Vita Caluini, cap. 13.

Simile in Polonia accidit in Matthæo quodam, homine paupere, qui & ipſe lucri, quod Hæreticus Miniſter promiſerat; ad infelicem &

impiam

impiam simulationem inductus fuit, teste Francisco Turriano, lib. 1. de dogmat. charact. verbi Dei. Et VVilhelmum Nesenum in Albi submersum ad vitam voluit reuocare Lutherus; sed frustra, vt Lindanus in Dubitantio, Dialog. 3. c. 1.

Hinc optime antiquissimus Scriptor Tertullianus, lib. de Præscript. Hæret. hoc ab Apostolis Apostolicisque viris differre dicebat Hæreticos; quòd *illi de mortuis viuos facerent; hi de viuis mortuos*. Addamus nos, quod illi ex hominum corporibus Dæmonia eiicerent: hi in homines illa immitterent. 8

9 Quid igitur est, dicet aliquis, quod *Pseudoprophetæ* dicuntur *daturi signa & prodigia*? Respondemus; Signa dabunt, sed falsa, non vera signa: qualia sunt, quæ Magi fecisse leguntur, & quæ patraturus dicitur Antichristus cuius signa & prodigia, *mendacia* vocat Sanctissimus Paulus, 2. Thess. 2.

CAPVT XLI.

De quinque diuersis modis, quibus in Christianismo, siue apud Catholicos, Dæmonia ex hominum corporibus eiiciuntur.

VArijs modis homines ab immundis Spiritibus liberatos esse nemo ignorat: Neque enim, vna eademque oratio seruata est ab ijs, qui olim in Veteri lege Dæmonia eiecerunt, & ijs, qui idem in Noua lege præstiterunt. Quod dicimus, ex Capite 42. & sequentibus præsentis Disputationis, perspicuum. 2

2 Sed & in Veteri lege aliam rationem seruarunt, qui à Solomone instituti erant; aliam qui Tetragrammaton nomen adhibebant. Et in Noua, non vna apud omnes ratio fuisse videtur. Alia vsus Christus: alia Apostoli: alia Apostolorum successores. quamuis nec semper diuersa vsi sint Apostoli, & Apostolorum successores; nec vna semper eademque fuerit omnium Apostolorum.

3 Christus etiam Dominus non eundem semper modum secutus est. Nunc Dæmonia verbo expulit; nunc quosdam quasi Exorcismos adhibuit. Sanaturus enim quendam Dæmoniacum, surdum & mutum; primò omnium ipsum *apprehendit*, tum à turba *adduxit*; mox *mittit digitos in auriculam*; hinc *expuit*: & *linguam Obsessi tetigit*; denique *suspiciens in cœlum dixit, Epphata.*

4 Rationes illas Veteris Testamenti persequi non est necesse. iam vetustate, si non alia de causa, antiquatæ sunt, & abolitæ. Nec illam discutiemus, qua Christus vsus est. Reliquæ, quia magnos, à quibusdam nostra ætate, patiuntur insultus; & præter omnem rationem traducuntur, à calumniis sunt vindicandæ: si tamen, *quæ illæ rationes sint, & quibus & olim expulsi, & nostris temporibus Dæmones expellantur, prius assignauerimus.*

5 Prima igitur ratio est, per *Nominis Domini nostri Iesu Christi inuocationem*, de hac Iustinus Disp. cum Tripho. in hunc modum: Per Nomen, inquit ipsius filij Dei, & primogeniti Creaturæ omnis, Dæmonium omne adiuratum vincitur, & in ditionem redigitur. & paulo ante: Eius nominis (Iesu) potentiam dæmones tremunt, & formidant: & hodie quoque ipsi per Nomen Iesu Christi crucifixi,

sub

ſub Pôtio Pilato, qui Iudeæ procurationem egit, 8
adiurati nobis parent. Hæc Iuſtinus. Prudentius ſimilia habet, in Apoth. contra Iudæos.

———— torquetur Apollo.
Nomine percuſſus Chriſti: nec fulmina verbi
Ferre poteſt: agitant miſerum tot verbera linguæ,
Quot laudata Dei reſonant miracula Chriſti.

Secunda ratio eſt, per *vſum Reliquiarum, Ea eſt* 7
Sanctorum poteſtas, inquit Chryſoſtomus, Orat. de Babil. vt illorum ſuperſtitũ ne vmbras quidem aut veſtes ferre poſſint Dæmones; vita autem functorũ & loculos quoque reformident. Itaque (inquit idem Hom. 7. de 7. Machab.) vt audaces latronũ duces, ſiue impij ſepulchrorum effoſſores, ſi fortè dum prædas agunt, aut ſpolia capienda conquirunt, in arma vel ornamenta Imperatoris incurrerint, quamlibet cupidi prædarum; tamen ita, agnitis Regis inſignibus, terrentur: vt fugiant, neque cominus accedere vel attingere audeant, vnde ſibi compendium non procedere, ſed periculum prouident imminere, ſi quid inde audeant vſurpare: ita profectò; & Dæmones, qui verè latronum & principes & Magiſtri ſunt, vbi coronatorum Martyrum viderint corpora poſita, longè ilico à conſpectu illorum pauidi fugiunt & abſiliunt.

Ad hunc modũ referrem illum, quo S. Clarus, Abbas Viennenſis, Dæmonium ab ancilla eiecit, digitis ſuis in os Obſeſſæ immiſſis: quemadmodũ legere licet apud Surium, in vita eius Tom. 1.

Referrem & manuum impoſitionem, qua B. Germanus, Pariſienſis Epiſcopus plurimos curauit, de quo in eius Vita Fortunatus, Pictauorum Epiſcopus, Cap. 30.

8 Tertia ratio eſt,per *Sanctæ Crucis impreſſionem*: de hac Lactãtius,Lib.4.c.27.Sicut ipſe (Chriſtus) cum inter homines ageret, vniuerſos Dæmones verbo fugabat,hominúmque mentes emolliebat, & malis incurſibus feriatas, in ſenſus priſtinos reponebat;ita nunc ſectatores eius eoſdẽ Spiritus inquinatos de hominibus & nomine Magiſtri ſui, & Signo Paſſionis excludunt. Verba ſunt Lactantij.

Quarta eſt,per vſum *Rerum Conſecratarum*.Antiquiſſima in Chriſti Eccleſia conſuetudo eſt; vt res quædam conſecrentur, & benedicantur; quibus deinde fideles, tum ad Dæmones profligandos; tum ad morbos pellendos, aliáque mala arcenda, vterentur.

9 Quinta eſt *Dæmonum per Exorciſmos adiuratio*. Huius meminit Cyprianus, ad Demetrianum Proconſ. Adiurantur, inquit, à nobis & torquentur Spiritualibus flagris: & verborum tormentis de Obſeſſorum corporibus eijciuntur Dæmones. Sed & prudentius formam quandam Exorciſmi his verbis expreſſit,

Intonat Antiſtes Domini,fuge callide ſerpens,
Exue te membris,& ſpiras ſolue latentes.
Mancipium Chriſti cur corruptiſſime vexas?
Deſine,Chriſtus ad eſt humani corporis vltor.
Non licet,vt ſpoliũ rapias,cui Chriſtus inhæ ſit.
Pulſus abi vertoſe liquor.Chriſtus iubet:Exi.

10 His quinque poſſemus alias rationes addere,ſed hæ præcipuæ ſunt,& aliæ in iam dictis, præſertim verò in Exorciſmo, continẽtur:vt ſunt Ieiunium, Oratio, Miſſæ Sacrificium, Litaniæ, Sanctorum inuocatio, Crucifixi Imago:& his ſimilia,de quibus inferius.

CAP.

Cap. XLII.

Examinatur primus modus, quo per Inuocationem Nominis Iesu, Dæmonia ex hominum Corporibus eijciuntur.

FOrmam & rationem Dæmonia eijciendi per *Nomen Domini nostri*, & Dominus videtur præscripsisse, & Apostoli obseruasse, & Viri sancti vsurpasse. Dominus præscripsit, cum dixit. *In Nomine meo Dæmonia eijcient.* Apostoli sibi gratulantur; quòd in *Nomine Christi ipsis subijcerentur Dæmonia.* D. Paulus in *Nomine Iesu* præcipit Dæmonio, vt à puella exeat. Primis Christianis testimonium præbent Iustinus & Prudentius superius citati: quibus accedit Lactantius Firmianus. 1

Nec desunt Exempla Sāctorum. B. Theodorus Archimandrita, teste Georgio presbytero, in Vita eius, apud Surium Tom. 2. *eiusdem Nominis* inuocatione liberauit primò seruum quendam, quem Domina eidem Theodoro adduxerat: deinde Principis cuiusdam filiam: quæ 27. annis, grauem Dæmonis carnificinam sustinuerat.

De S. Svviberto, Saxonum Apostolo scribit Marcellinus, cap. 20. quòd Dæmoniacum, eundem liberaturus, accesserit cum socijs; & primùm quidem se ad orationem conuerterit: post orationem verò ad Spiritum conuersus, eidem in *Nomine Christi* exitum imperauerit: ille verò graui post se relicto fætore discesserit.

De Arsacio docet Sozomenus, libr. 4. Hist. cap. 15. quòd obuiam habuerit furiosum Energumenum: qui gladio armatus omnes in fugam conuer

conuerterit: sed ad saniorem mentem redierit, & ab infestante Spiritu sit liberatus *Christi nomine*, per Arsacium, inuocato.

Idem *Christi Nomen*, cùm meritis atque stola S.Bernardi, coniunxit Pontius, Abbas Belleuallensis: & feliciter Dæmonem ab Obsesso profligauit, qui alijs Exorcismis adhibitis pelli non potuit: in Vita S.Bernardi, lib.4. cap.1.

Nec hoc Nomen neglexit Bernardus in Exorcismo, quem collo Dæmoniacæ, à qua secundò Spiritum immundum eiecerat, alligauit. Sic enim is habet. In Nomine Iesu Christi, Domini nostri præcipio tibi Dæmon, ne hanc mulierem rursus ingrediaris. Vide cap.49. huius Disputationis.

Et B.Dominicus: cùm, sub concione eius, Dæmoniaca quædam exclamaret: & præsentes omnes perturbaret: In *Nomine Iesu Christi*, facto Crucis signo Spiritui præcepit, vt miseram relinqueret: qui & confestim reliquit. Vide cap.9. lib. 2. Vitæ ipsius.

Eligio Episcopo Nouiomensi, cùm in prouincia Galliæ ageret, Dęmoniacus quidam, Quid hic agis, dicebat. Ille mox; in Nomine Iesu Christi, respõdebat, obmutesce, & exi ab homine. Vix verbũ protulerat; & Dæmon euolarat ita Audoenus Rhotomagensis, lib.2. c.11. in eiusdem Vita. Denique, *eiusdem Nominis* inuocatione Spiritus eiecisse D.Antoniũ testatur, in ipsiꝰ Vita Athanasius.

Quid, quòd eadem vsi etiam illi, qui Christi doctrinam non profiterentur? *Vidimus*, inquit Ioãnes, *quendam in nomine tuo eijcientem Dæmonia, qui non sequitur nobiscum*. Huic adiunxero illos, quorũ Lucas, in Historia Apostolorum, meminit: qui Iudæam:

dæam circuibant, & super eos, qui malos Spiritus habebant, *Nomen Domini* inuocabant. Iosephum item, cuius Epiphanius meminit. *Act. c. 19.*

Verùm in hac Dæmonia eiiciendi ratione, *quatuor* sunt, quæ in quæstionem venire videntur. Primum est; *quid* sit in Christi Nomine Dæmonia eijci. Secundũ, cur *potius* in Christi, quàm aut Patris, aut Spiritus sancti Nomine Dæmonibus discessus imperatus. Tertium *quodnam* potissimum Christi nomen (varia enim habet) hic assumptum sit. Quartũ & postremum, An ipse sub *nuda* Christi Nominis cõpellatione robur aliquod habeat, ad Spiritus ex hominibus exigendos. 2

Primæ quæstionis definitio requirit, vt ambiguitas Nominis prius distinguatur. Neque enim vna est ipsius significatio. Nunc pro imperio: nũc pro meritis; nunc pro authoritate: nunc pro virtute ac potestate, sumitur. Exemplũ primi est; quòd Petrus *in verbo siue Nomine Domini* dixit *se laxare rete.* Exemplum secundi; quòd Dominus promittat omnia petentibus & *rogantibus Patrem in suo Nomine.* Exemplum tertij; quòd doceat *Patrem missurum Spiritum sanctum in suo Nomine.* Exemplum quarti; quòd *in Patris Nomine asserat se opera & prodigia facere.* 3 *Lucæ 5.* *Iann. 14.* *Ibidem.* *Ioan. 10.*

Hoc constituto, dicimus, quod quamuis Christi imperio: Christi meritis; & Christi authoritate dici possit Dæmonia, eijci, quãdo ad *Nominis eius* inuocationem pelluntur, propriè tamen *virtutem eius* intelligimus: vt idem sit in Christi Nomine; atque in virtute Christi Dæmonibus exitum imperare. 4

Quod dicimus, facilè probabit: qui, quale opus sit, 5

opus sit, Dæmonum eiectio, expendet, diuinum prorsus est, & humanas vires longissimè superans, diuinam igitur virtutem requirit, qua Dæmones vt expelli demonstremus, *Christi Nomen*, hoc est, virtutem, quæ diuina est, inuocamus.

6 Idem animaduertet: qui adorationem S. Bernardi volet attendere: quam cap. 49. huius disputationis referimus. Cùm enim arroganter Spiritus quidam ipsi insultaret: quòd nec Syrulus (S. Syrum intellige, ad cuius Reliquias Dæmoniacum Bernardus miserat) nec Bernardulus (sic, per contemptum, Sanctum virum nominabat) ipsum sede sua atque domicilio esset pulsurus: *Non te*, respondit Bernardus, Syrus eijciet: non Bernardus: sed Dominus noster Iesus Christus.

7 Itaque in hac Dæmones eijciendi ratione duo videntur concurrere. Primum est Christi Nominis vsurpatio: alterum eiusdem virtus & potestas, illud voce profertur: hoc animo concipitur, & verbo insinuatur. Et sic ad primam Quæstionem responsum sit.

8 Altera difficilior est: sed tamen breuiter dicimus, *ob multas, & magnas rationes in Filij potius: quàm aut Patris, aut Spiritussancti aut etiã Dei Nomine Dæmonia pelli.* Quamuis enim omnium Personarum æqualis sit potestas: quia tamen Filij diuinitas erat astruenda, & doctrina confirmanda; omnino conueniebat; vt *Filij* Nomine inuocato Dæmonia pellerentur; cum hæc res egregiè ad vtrumque valeret.

9 Innotuerat olim mundo prima in diuinitate persona Pater: Filius non item, quemadmodum igitur Pater multis rationibus se probauerat; ita

altera

altera perſona, Filius Dei, ſuam diuinitatem ſignis
& prodigijs debebat probare.
Pro Spiritus Sancti perſona, inquit aliquis, etiã 10
hæc ratio militat. Non hoc ignoramus. Sed aliæ
ipſi non defuerunt, quibus ſuam diuinitatem a-
ſtruxit, rationes, & illa maximè, quòd Chriſti gra-
uiſſimum pro ſe teſtimonium haberet: cuius di-
uinitate conſtare non potuit.
Sed & Filio multò maximè his prodigijs & ſi- 11
gnis opus fuit. Quid ita? Poſtulabat, ſcilicet, hæc
in primis doctrina, quam mundo inferebat, poſtu-
labant homines, quibus doctrina illa erat traden-
da, poſtulabant illi, per quos erat tradenda. Nun-
quam mũdo Chriſti doctrina (vt perſuaſa eſt) per-
ſuaderi potuiſſet: niſi ad hanc inferendam, & con-
trariam extirpandam prodigiorum machinæ, &
Dæmonum profligationes fuiſſent adhibitæ.
Doctrina omnes ingenij vires ſuperabat. Carni 12
erat contraria: &, quæ mundus in præcipuo hono-
re habebat, aſpernabatur. Tradenda hæc erat inge-
nij acumine valentibus: & qui, quòd ratione non
capiebant, paradoxum iudicabant. Tradenda ijs,
præter oblectamenta carnis, & huius vitæ, nulla a-
lia ſupereſſe, exiſtimabant, bona. Et per quos tra-
denda? Non per Sapientes, & in Academicis con-
greſſibus, multis iam annis, exercitatos, Naturæ
magiſtros: non per potentes & militum copia in-
ſtructos: ſed per homines piſcatores: & qui vix ad
honeſtorum virorum conſpectum admittendi vi-
debantur. Quantis igitur, & qualibus hic machi-
nis, ſi quid feliciter fieri debuit, erat opus?
Eſto, potuerint hîc aliæ machinæ adhiberi: ad- 12
hibitæ etiam *ſint*, nec fruſtra adhibitæ ſint: verun-
tamen

tamen conueniebat, vt etiam Dæmones in *Nomine Christi* profligarentur; illi scilicet, qui iam in mundo principatũ obtinebant: qui multis modis, hominibus, plurimos annos illuserant: ad quorum regnum dissoluendũ, spolia diripiẽda, arces occupandas, Christus præcipuè in mundum venerat.

14 Hinc est, quod inter præclara à Christo gesta, nihil ita prædicetur, vt Dæmonum ex hominibus eiectiones. Nullum etiam opus sit, in quo frequentius occupatus videatur. Nullum ferè, quod ita homines mirati. Nullum, quod magis ipsius hostes & aduersarij calumniati.

15 Sed tertia nos ad se Quæstio vocat, qua quæritur. *Quonam potissimum Christi, Nomine & Apostoli, & Apostolorum successores vsi sint in Dæmonum profligatione?* Atque hoc loco, vt quod sentio, dicam, extra controuersiam esse puto, Omniũ Christi Nominum vim magnam esse: & quod vnius fit vsurpatione, id posse fieri aliorum omnium Hoc, ne alia proferam, declarat, qui nunc non infructuosè Dæmoniacis adhibetur. Exorcismus: in quo omnia propemodum, quo Christo tribuuntur, Nomina inueniuntur.

16 Veruntamen, quamuis omnium vis magna sit: *Nomine Iesu tamen vsos esse*, & in eo plus præsidij posuisse, optimè videmur posse affirmare, ob sequentes causas. Primò, quia licet multa Domino Nomina tribuerentur; vnum tamẽ proprium erat. *Vocatum est Nomen eius Iesus*. inquit Lucas, *quod vocatum est ab Angelo, priusquam conciperetur*. Iam verò ipse *suo* Nomine (quis dubitabit, quin hoc proprio?) Dæmonia dixit eijcienda. *In nomine Meo*, inquit, *Dæmonia eijcient*.

Dein

Deinde huius Nominis inuocatione Dæmonia expulsa legimus, non per Apost. Paulū tātùm; verùm etiam Iudæorum Exorcistas, qui Apostolum aliosque Christi Discipulos imitabantur. Et de Apostolo Paulo hoc clarum est ex capite 16. Historiæ Actuum Apostolicorum: vbi eijciens Pythonicum Spiritum: *Præcipio tibi*, inquit, *in Nomine Iesu discedere ab ea.* De Iudæorum verò Exorcistis, Lucæ 9. *Vidimus*, inquiunt Apostoli, *quendam eijcientem Dæmonia in Nomine Tuo qui non sequitur nobiscum*, Similiter Actuum 19. Quidam Iudæi Dæmones adiurabant *per Nomen Iesu, quē Paulus prædicabat.* Quid, quòd primi Christiani hoc, præ cæteris, Nomen assumpserint? Nominis Iesu inquit Iustinus, potentiam Dæmones tremunt & reformidant: & hodie quoque illi per Nomen Iesu adiurati nobis parent. De veritate Religionis Christianæ. Quid, quòd hoc in Dæmonum eiectione Apostoli omnes vsi videantur? *Domine*, inquiunt Lucæ 10. *etiam Dæmonia subijciuntur nobis in Nomine tuo.* Vide Tostatum q. 153. in 17. Matthæi.

Tertio, quia huic Nomini aliquid plus tribuisse 18
videntur Apostoli, quàm alijs omnibus. Omitto quòd in Nomine *Iesu* dicatur flectendum omne genu cælestium, terrestrium, & infernorum quoties Sanctissimus Paulus idem illud Nomen in ore habuit? quoties in corde? Licet id intelligere partim ex ipsius scriptis, in quib. quingenties extat; partim ex grauissimis Scriptorib. qui eiusdem abscissum caput, ter *Iesu* nomen, inclamasse testantur. Baronius Tom. 1. Annal.

Ad hæc accedit fidelium omnium, qui iam sunt 19
(haud dubium, quin & priorum) consensus: &

quæ damnari non poteſt (niſi fortè à Chriſti hoſtibus) conſuetudo; qua frequentius hoc, quàm quódcunque aliud, Nomen, ſi quando terrentur, aut cadunt, compellant: qua morientibus hoc potius inclamant: qua præ cæteris pingunt, & maiorem illi, quàm alijs, reuerentiam, nunc Capitis inclinatione, aut detectione, nunc geniculatione, exhibent.

20 Sed & ratio egregiè pro hac ſententia militat. Finis, qui in Dæmonum eiectione propoſitus fuit? hoc potius; quàm quodcunque aliud Nomen requirebat. Quid ita? Quia cum hic propoſitum eſſet vt Chriſti gloria atque diuinitas innoteſceret: ipſeque pro vero Deo ſuſciperetur & haberetur: nónne illud Nomen aſſumere oportebat, quod Chriſto erat maximè proprium? quo ab omnibus paſſim compellabatur? Atque hoc eſſe dulciſſimum *Ieſu* Nomen, ſi non alia, certè Titulus Triumphalis vt vocamus, ſatis ſuperque declarat.

21 Porrò hæc pro tertiæ Quæſtionis reſponſione dicta, haud parum ad quartæ ſolutionem faciunt. Neque enim obſcurè inſinuant *ipſum nudum Ieſu Nomen Dæmonibus moleſtum, & graue fuiſſe:* magnā quoque ad ipſos ſedibus humanis pellendos impreſſionem feciſſe. Id exemplo etiam eorum confirmari videtur: qui quamuis Chriſtum non ſequerentur: nondum crederent: fortè etiam ipſius hoſtes eſſent & aduerſarij: *Ieſu* tamen Nomine inuocato Dæmonia pellebant.

22 Sic Sagis, & ijs, qui ſe Diabolo deuouerunt, mādari, & ſerio præcipi ſcimus: vt ſi quando nocturnos conuentus habent, prorſus à Nomine *Ieſu* abſtineāt, quanquam Ieſum abiurarint. Scimus ſubitò

& Diabolos & præſentem turbam diſparuiſſe: ſi quando Collegarum alicui, etiam præter intentionem, Nomen *Ieſu* excidiſſet.

Dæmonia aliquando conſuluit Chriſtianæ Religionis deſertor, & perſecutor Iulianus (Naz. Orat. in Iulian. teſte) Cùm verò eidem, terribili: & quam ferre non poſſet, forma, apparuiſſent: pro cõſuetudine, quam Christianus adhuc habuit, ſe Cruce muniuit, crucis hoſtis: & ipſa mox diſparẽt: probãq; ipſum per ſe Nomen *Ieſu* Dæmonib. horrori eſſe. 23

Non leuia hæc ſunt argumenta. Sed vt Caput hoc concludamus, *quatuor* dicimus. Primum, magnam huius Nominis vim eſſe, ſi *cum reuerentia*, atque pietate proferatur. Secundũ, Etiam per multum valere: quamuis *nullum pietatis affectum* habeant, qui eo vtuntur: ſi tamen eo fine, vt Chriſti virtute quippiam obtineant, aſſumant. Tertium, Nullam eius vim eſſe, ſi vt *nuda quædam in aërẽ prolata vox ex*, conſideratur. Quartum, Quòd, ſi vt ſignum aliquod vſurpetur, Dæmonibus terrori eſſe poſſit; quamuis & pius abſit affectus: & nihil ab eo, qui profert, exſpectetur. 24

Primum illud probant eiecti ab Apoſtolis Dæmones: ſerpentes ſublati: hauſtum, ſine detrimento venenum: infirmorum curatio: & his ſimilia, vt taceam, quòd pius animus, cum re qualibet (quid ni cum diuini Nominis inuocatione?) poſſit plurimùm. *Pietas*, inquit Apoſtolus, 1. Timoth. 4. *ad omnia vtilis eſt.* 25

Secundum dubium non eſt. Illi ipſi, quos iam ſæpe produximus, huius rei teſtes ſunt: illi inquam, qui apud Chriſtum à Diſcipulis delati, quòd Dæmonia ejjcerent, in eius Nomine, quẽ non ſequerẽ- 26

tur. Debuerunt quoque hic homines intelligere, Christi magnam esse virtutem; quando etiam illi, qui ipsius doctrinam non per omnia probabant, in eius Nomine Dæmonibus imperarent.

27 Tertium omnes, ni fallor, admittunt. Cùm enim vox in aerem prolata, nihil sit aliud, quod non concussus aer præstat. Si pica aut Psitacus doceatur Nomen *Iesu* proferre: viréſne alias, quodcunque nomen prolatum habebit? vide Tostatum in 1. Reg. cap. cap. 19. qu. 40.

28 Quod verò quarto loco asserebamus, idem, inquam, Christi nomen, vt signum quoddam est, vires aliquas habere, facilè credet, qui animaduerteret Dæmones non rebus tantùm, verùm etiam signis rerum terreri & cruciari. Res clara est, de signo Crucis: quod vbicunque tandem conspexerint, & quomodocunque formatum sit, odio habent impostores; & detestantur, quemadmodum fures, rotas, & patibula.

CAPVT XLIII.

Examinatur secundus modus, quo per vsum Reliquiarum Sanctorum, Dæmonia ex hominum corporibus eijciuntur.

1 ALtera ratio eijciendi Dæmones, est per *vsum Reliquiarum Sanctorum.* Pro hac produximus superius B. Chrysost. sententiam: Chrisostomo adiungimus semicinctia, & sudaria Apostoli Pauli: de quibus ita S. Lucas: *Virtutes,* inquit, *non quaslibet faciebat Deus, per manum Pauli: ita vt etiam super lá-*

guidos

guidos deferrẽtur à corpore eius Sudaria & Semicinctia: & recedebant ab ijs languores & Spiritus Nequã egrediebantur. Addimus quoq; Vmbram Petri, qua Dæmonib. vim allatam esse haud obscurè insinuatur cap. 5. Historiæ Apostolorum.

Possent pro hoc argumento iam dicta satis esse; 2
verùm quoniam hæc exorcizandi ratio magnos & multos habet Aduersarios, plurib, exemplis, rationibusque illustranda videtur, & explicanda.

Ab exemplis initium facimus. Refert B. Hieronymus, Epist. ad Eustoch. de Vita Paulæ, ad sepulchrum Elisæi, Ioannis Baptistæ, atque Abdiæ, rugire consueuisse, & latrare, & sibilare, & mugire Dæmones. Idem attestatione totius populi Mediolanensis fieri ad sepulchra Prothasij & Seruasij testatur B. Ambrosius, de Prothas. & Seruas.

Eorundem Prothasij & Seruasij memoria fuit in villa Victoriana ab Hippone regio, minus triginta millibus distante. Portatus est eò adolescens quidam, qui, cùm de medio tẽpore æstatis, equum ablueret, in fluminis gurgite Dæmonem incurrit. Ibi cùm iaceret, vel morti proximus, vel simillimus mortuo: tandem Dæmone fugam capiente liberatus est, ita B. Augustinus, lib. 22. de Ciuit. cap. 8.

Nazianzenus, Orat. 19. tanquam rem omnibus manifestam relinquit, ad Cypriani Martyris sepulchrum Dæmonia eiecta.

Plurima quoque per catenam S. Petri eiecta esse docent, & testantur Historiæ. Anno salutis 900. accidit, vt quidam Comes, Othonis Imperatoris, familiaris occupatus ab immundo Spiritu, seipsum dentib. dilaniaret; iussu verò Imperatoris ad Ioannem Póntificem ductus sit; hic vt sacram catenam

attigit,erumpens nefarius Spiritus,hominem liberum reliquit. Hoc Vincentius lib. 24.ca.88.&Chronicon Saxoniæ.

Quibus Belgium notum eſt,non ignorant apud Gheelam Brabantiæ, ad ſacroſanctas D. Dymnæ Reliquias Dæmoniacos,ſingulari Dei Opt. beneficio,in hunc vſque diem liberari,inquit Brendenbachius, Lib.7 Collat.cap.37.

Sic anno 1541.in Sicilia,in templo S. Philippi, qui S.Petri diſcipulus fuit,ducentæ propemodum fœminæ liberatæ ſunt: & quotannis ipſo D.Philippi feſto die liberantur non pauci, quemadmodum quodam in loco refert Thomas Pazellus.

Gregorius Lingonenſis Epiſcopus adductos ad ſe Energumenos,ſigno Crucis , & verbo curabat: ſed eo abſente multi Dæmonia ab Obſeſſis virga, quam geſtare ſolebat,pellebant : quemadmodum habet Gregorius Turonenſis in eius Vita. Idem Gregorius,lib. 2.Miracul.ca.44.docet ad pignora S.Iuliani Dæmoniacum cum vomitu ſanguinem Dæmonenque eieciſſe.

Sic dæmones clamabant ſe gemino incendio torqueri:cùm S. Genouefa Reliquias S. Martini viſitaret:quia ſcilicet,nec ſancti Viri Reliquias nec S.Virginis præſentiam ferebant. Surius Tom. 1.

Agnouit hanc Reliquiarum virtutem Pipinus, Caroli Magni parens.Cùm enim Clericum ſuum (Brunco is vocàbatur) à Dæmonis tyrannide cuperet abſolui, ad Sanctorum Reliquias ipſum deſtinauit.Nec ſpes fefellit:ſiquidem mox, vt limina Eccleſiæ S.Maximini,Treuirenſis Epiſcopi,attigit curatus eſt Brunco:teſte Lupo,in Vita S.Maximini,apud Surium,Tom.3.

Idem

Idem Lupus addit vno eodemq; die, S. Maximini ſacro triginta ſeptem earundem Reliquiarum beneficio à Dæmonib. eſſe liberatos: in eorumq; numero fuiſſe fœminam, quam poſt quadraginta ſeptem annorum carnificinam Sanaticam Spiritus reliquerit: ſulphureo nidore, in diſceſſu ſuo, templum impellens. Sequenti item anno, eodem S. Maximino ſacro die, curatores viginti duos: tertio anno curatos tredecim.

De Reliquijs S. Liborij Epiſcopi Cenomanenſis ſcribitur, quòd cùm anno 836. corpus eius è tumba leuaretur, transferendum Badelbornam: liberatus ſit Diaconus, quem multis annis Diabolus torſerat: in itinere verò cùm ad eiuſdem ſacra pignora mulier obſeſſa adduceretur: cœperit horrendum in modum Dæmon mugire, ſibilare, atque alias ferarum beſtiarum voces edere: mox verò diſcedere coactus ſit; feretrum attigerit. Hæc apud Surium, Tom. 4. fol. 338.

De puluere, in quem effuſa fuit aqua, qua B. Oſualdi oſſa fuerunt abluta, refert Beda, lib. 3. Hiſtor. Anglic. ca. 11. quòd Dæmoniacum ſanauerit: apud quem nihil profuerunt Exorciſmi.

Sic nihil proficiebatur in monaſterio Belleuallis, omnib. Exorciſmis, quos adhibebant dicti monaſterij Viri religioſi: ſtola autem, qua S. Bernard. vti conſueuerat, Energumeno, per Pontium loci Abbatem, admota, ſubitò Spiritum exegit, teſte VVilhelmo S. Theodorici, in vita Barnar. li. 4. ca. 1

De Gregorio Taumaturgo ſcribit Gregorius Niſſenus, in eius Vita: apud Surium, Tom. 4. quòd anhelitu oris ſui velum afflarit: & obſeſſo illud imponens, Dæmonem expulerit.

De Maltonio Episcopo testatur Sigebertus, qui eiusdem Vitam descripsit, (habetur apud Surium Tom. 6) quod rogatus vt nobilis cuiusdam filiam, quam miserè Dæmon torquebat, curaret; proiecerit in Obsessæ collum, suum strophiolum: & statim in conuitia Spiritus proruperit, & post potam benedictam aquam discesserit.

Sic Terentianus prætoriæ cohorti præfectus ob mortem Ioannis & Pauli Romanorum ciuium, quam iussu Iuliani Apostatæ curauerat, cùm filio à Spiritibus immundis, sceleres patrati vltoribus, inuaditur, sed ab ijsdem liberatur, quamprimùm ad Martyrum sepulchra fuit perductus. Ita in Vita Ioannis & Pauli per Terentianum scripta, teste Baronio in martyrologio 16. Iulij.

4 Habet hìc locum, quod de S. Bernardo refert Bernardus Bonæuallensis Abbas. Huic, cùm Mediolani in Ecclesia S. Ambrosij esset celebraturus; puellam adducunt à Dæmonio obsessam, auxilium eius implorantes. Quid Sanctus? Aquam manibus suis iubet super infundi; quam cùm puellæ bibendam dedisset, mox pristinæ sanitati illa restituitur. Habet quoque locum; quod B. Augustinus affert 22. de Ciuit. cap. 8. se Mediolani domum vidisse, quæ à Dæmonio vexabatur, & suspensa in illa parte terræ sanctæ, à Dæmonij infestatione liberata est: Hinc optimè B. Hieronymus Dæmoni, qui per os Vigilantij, Reliquias contemnentis loquebatur: *Tu hoc vilissimo totus es sæpe puluere.*

5 Nec mirum est Dæmones aut profligari, aut cruciari Reliquijs: cùm vel maiora, vel certè æqualia Reliquiarum attactu, & virtute perfecta esse sciamus. Per has enim alijs est restitutus visus:

alijs

aliis redditus vſus pedum; aliis data vita: alij ab incurabilibus morbis liberati: vt benedictum ſit à Patribus Nicenæ II. Reliquias Sanctorum eſſe fontes ſalutares, quibus Deus multa beneficia hominib. præſtat. Nec hic exempla deſiderãtur. Mulier quædam fluxu ſanguinis laborauerat, annis 10. Expẽderat in medicos omnes, quas habebat, facultates. Chriſtum in medio turbæ conſpicata, cogitabat ſi vel fimbriam veſtimẽti eius, tangere, fore, vt ſanaretur. Quid multis? Vicit pudorem deſiderium ſanitatis. clàm Dominum accedit fimbriam tangit, & mox ſanitati reſtituitur.

Coniicitur in ſepulchrum Eliſæi Prophetę cadauer hominis cuiuſdam defuncti; ſubitò, vbi Eliſæi oſſa attigit, ſurrexit homo viuus, 4. Reg. 13.

Scribit S. Epiphanius in vita eorũ, à plurimis coli ſolita ſepulchra Ezechielis, Iſaiæ, & Hieremiæ, ob multa beneficia, quæ in iis locis propter eorundem merita Deus conferebat.

Baſilius Oratione in Mamãtem dicit omnibus nota eſſe miracula, quibus Martyr aliis ſanitatem aliis, vitam reddiderit. Refert idem Orat. in Iulianũ, cùm Reliquiæ S. Iulittæ in quendam locũ, vbi aquæ penuria laborabatur, adductæ fuiſſent, è terra eripuiſſe fontem aquæ dulciſſimæ; vt videretur ſancta illa, quaſi mater & nutrix cõmunis, totam illã regionem lacte ſuo alere voluiſſe.

S. Gregorius Nazianz. Orat. in Cyprian. Omnia, inquit, poteſt puluis Cypriani cum fide, vt ſciunt hi, qui ipſi experti ſunt, & miraculum vſque ad nos tranſmiſerunt.

Ambroſius Sermone de Geruaſio & Prothaſio, & Epiſtola ad Sororem de iiſdem; inter alia

facta, refert etiam cæcum, nomine Seuerum, arte Lanionem, omnibus notissimum, fuisse curatum ad contactum feretri, quo Reliquiæ portabãtur.

6 B. August. lib. 22. de Ciuit. cap. 8. asserit tot facta esse miracula, breuissimo tempore, ad Reliquias S. Stephani, vt multi libri scribendi sint, si omnia referri debeant. Sulpitius in Vita S. Martini, dicit solo contactu vestis eius curatam mulierem a fluxu sanguinis. Legendus est Iacobus Rabus de Miraculis contra Morbachium.

Magna sunt quæ diximus. Sed illud magis Reliquiarum virtutẽ probat, quòd etiam sudaria, vel vela (quæ Sanctuaria vel Brãdea dicebantur) iis, cùm tangendi facultas non cõcederetur, Maiores admouerint; & postmodum his tanquã rebus sacris, ad res magnas perficiendas vsi sint, de quibus ne longiores simus, consulendus est Cæsar Baronius, in Martyrol. 15. Iuoij. Quantam autẽ virtutem haurirent huiusmodi Vela, admota Sanctorum tumulis, locuples testis est B. Gregorius PP. scribens ac Constantiam Augustam, lib. 3. ca. 30. & Greger. Turonen. de gloria Martyrum, cap. 28. & Diaconus in Vita Gregorij.

7 Quid, quòd non tantùm velamina, & Panniculi Reliquiis admoti; sed & Vestimenta languentium: atque mortuorum, sacris altaribus, vbi Sãctorum seruarẽtur Reliquiæ, superposita, virtutẽ quandam diuinam hac ratione contraxerint; vt postea infirmis aut mortuis adhibita, præsens remedium attulerint? Pro hac re est sãctissimus Augustinus, qui ad arguendam Gentilium impietatem complurium miraculorum suo tempore in Africa editorum Catalogum texuit; eandémque gratiam

gratiam floribus, qui iisdem sacrarũ Reliquiarũ loculis admoueri cõ ueuerunt, impartiri solitam plurib. mõstrat exemplis. Vide lib. 2. de Ciuit c. 8. 8

Maximis h.s maiora addimus. *Pulus* etiam atque situs, qui circa Martyrum sepulchra inuectus est. maxima, propter Martyres præditus fuit virtute Fidem huius integrã faciunt Patres ferè omnes; sed imprimis Gregor. Nyss. Orat. in Theod. qui de consuetudine prædicti *Pulueris* colligendi hæc hæc ait: Si quis puluerem, quo conditorium, vbi Martyris corpus quiescit, obsitum est, auferre permittat: pro munere puluis accipitur, atque tanquam res magni pretij condenda colligitur.

Cæterùm, quot quantáve miracula, ex collecto Puluere, circa Sanctorum sepulchra iacente, Deus operari consueuerit, verax testis est beatus Gregorius PP. lib. 3. Dialog. cap. 17 qui fideli certáque attestatione refert, ex Puluere collecto, ex altaris crepidine mortuum esse reuocatum. Multa id genus habet de his, qui pleráque ipse expertus est, Gregorius Turonensis, de Miraculis sancti Martini, libro secundo, capit. 1. & libr. 3. cap. 12. & libro quarto cap. 32. & sequentibus. Item libro primo, de Gloria Martyrum, cap. 62. & lib. 2. cap. 33. 42. 45.

Nondum finem facimus. Addimus & hoc, 9
quòd etiam à Sanctorũ loculis separata, si tamen in ipsorum impendantur honorem, eandẽ edendi miracula facultatẽ assecuta sint. Hoc de Oleo manifestum est, quo ex more in Ecclesia antiquitus obseruato, lampades circa sepulchra Sanctorũ solent accendi, eo enim vnctum cadauer filij Irenæi, mox reuixit, vt habet Beatus Augustinus 22. de Ciuit.

de Ciuit.cap.8. Sic ingentia miracula edita ad Oleum ex lychnis, ad Martyrum sepulturas refert Theodoretus, in Historia Sãctorum Patrum. De Ceræ particula, à S. Martini templo delata commemorat Turonensis, quod igni iniecta totũ incẽdium, quo domus ardebat, restrinxerit, & nouo miraculo Cera, quę ignem alere est solita, violentias ignis oppresserit.

10 Vnum adhuc pro Reliquiarum gloria, atque argumenti confirmatione addimus, quòd ipsa quoque dira pœnarũ instrumenta, quibus Martyres excruciati sunt, magnam virtutem atq; vim ex Sanctorum membris hauserint. Testatur id *Lapu*: quo B. Stephani Prothomart. brachium est percussum. De quo S. Augustinus, *Serm.* 31. & 32. de Diuersis, quòd plurima per ipsum Anconæ: vbi religiosè seruabatur, facta miracula.

Testantur D. Petri *Catenæ*: de quibus idem August. Serm. de Sanctis 29. Meritò, inquit, per omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur Ferrum illud pœnalium vinculorum. Si tam medicabilis fuit adumbratio visitantis; quantó magis Catena vincientis. Si inanis quædam species vacuæ imaginis (vmbræ) habere potuit in se vim salutis: quanto magis de corpore meruerunt attrahere salubritatis, ferreo pondere sacris impressa membris Vincula passionis?

Testatur Craticula S. Laurentij, cuius miraculorum meminit S. Gregorius Papa, in Registro, lib. 2. Epist. 33. Hinc optimè Gregorius Nazianz. Orat. 1. in Iulianum: Quorum (loquitur de Martyribus) corpora idem possant, quod animę: siue manibus contrectentur, siue honorẽtur: quorum

vel

vel solum sanguinis guttæ, atque exigua passionis signa idem possunt; quod corpora.

Intellexerunt haud dubium, hanc Reliquiarũ Virtutem Maiores nostri. Id ex *quatuor* Capitibus possumus deprehendere. Primum est, quod longè & difficiles Peregrinationes ad Sanctorum susceperunt Reliquias. *Quia* (inquit B. Chrysostomus) à Martyribus miracula eduntur, magna affatim ad illos multitudo affluit. 11

Alterum est, quod ipsas studiosè quæsierint: magna diligentia compararint: comparatas non alio; quam maximi thesauri loco habuerint. Hinc Theodoretus ad Grecos, de Martyribus; sic habet: Animæ triumphatorum Martyrũ in cælesti nunc patria vitam agunt, Angelorum choris interfitæ; eorum verò corpora non singula quidem singulis monumentis conduntur; sed Ciuitates, oppida paganique conuentus hæc inter se sortitò partiti sunt, laborantibúsque animis ac ægrotis corporibus salutaria ea confiteri non cessant.

Tertium est, quòd easdem in summo honore iudicauerint habẽdas esse. Hoc pulchrè exprimit Gennadius de Ecclesiasticis dogmatibus: Sanctorum corpora, inquit, & precipuè beatorum Martyrum Reliquias, perinde ac si Christi membra, sincerissimè honorãda: & basilicas eorum nominibus appellatas, veluti loca sancta, diuino cultui mancipata, affectu piissimo & deuotione fidelissima adeũdas credimus. Si quis contra hanc sententiam, venerit; non Christianus, sed Eunomianus, & Vigilantianus creditur.

Quartum est, quòd magni beneficij loco habuerint; si iis locis, vbi Sanctorum Reliquiæ conseruaren

seruarentur, sua haberent sepulchra. *In Constantinopoli*, inquit D. Chrysost. Homil. Quod Christus Deus, *Reges nostri magnam gratiam putant, non si prope Apostolos; sed si vel extra eorum vestibula, corpora sua sepeliantur, fiantq; piscatorũ Ostiarij Reges.*

12 Quæ diximus, egregiè, ni fallimur, nostrũ argumentum confirmant. Pluribus opus non est, finem facimus, si quam ob causam, per *Reliquiarum vsum*, Deus Dæmonia expelli voluerit, paucis docuerimus: simul etiam exposuerimus, Verène aliqua virtus Reliquiis insit, quam Dæmones ferre nequeant.

13 Prioris non malè dixerimus *duas* esse causas. Altera est, Christi diuinitatis & diuini numinis confirmatio: altera sanctitatis eius, ad cuius Reliquias Dæmonia profligãtur, declaratio. Et nunc duæ hæ causæ simul concurrunt: nunc altera tantùm locum habet.

14 Olim, quando etiam ad Domini nominis Inuocationem miracula edebantur, Christi gloria maximè erat proposita. Quocirca non tam mirabantur homines illa; ad quorum præsentiam attactúmque Dæmonia eiiciebantur; quàm, in cuius virtute eiicerentur: sicque non tam ad prædicandos Christi Apostolos atque Discipulos excitabantur; quàm à Christianam Religionem complectendam vrgebantur.

15 Sequentibus, & nostris temporibus, stabilita iam Christiana Religione, quæ ad Reliquias miracula eduntur, sanctitatis ferè sunt argumenta. Vult, Deus eos, qui sibi ministrant, honorari, ad quam rem cùm miracula, Dæmonúmque eiectio plurimum faciant; ad Sanctorum Reliquias & Pulueres

Pulueres hæc vult fieri. Sic ſcilicet de Sanctis maiorum ſanctitatis opinionem concipiunt homines. Sic maiorem ipſis honorem impendunt: feruentius ipſorum patrocinia implorant: & tutius meritis confidunt. Quanquam & in his quoque Chriſti gloria propoſita eſt.

Sed tamen (quod ſecundo loco explicandum 91
erat) *Vis naturalis, qua Dæmonia profligantur, nulla vel Reliquiis, vel iis quæ cum Reliquiis coniuncta ſunt, ineſſe dicenda eſt.* Quam enim aliam rebus corporeis, quàm corporeã, ineſſe dicemus? At qua Dæmones pelluntur, illam non oportet eſſe corpoream. Corporea nihil ad profligandos Dæmones: nihil ad res, quæ naturæ vires ſuperant, facit.

Diuina igitur virtus eſt, qua Dæmones eii- 17
ciuntur. Id in ſimili cauſa egregiè demonſtrat Apoſtolus Petrus. Cùm enim aliquando quendã ex vtero claudum curaſſet, & ob id omnium in ſe oculos vultúſque conuertiſſet: hac oratione à ſe, in Deum, patratum miraculum amolitus eſt, *Viri Iſraelitæ,* inquit, *quid miramini hoc, aut nos quid intuemini, quaſi Noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare. Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, Deus patrum noſtrorum: glorificauit Filium ſuũ Ieſum. In fide nominis eius: hunc quem vos nunc videtis & noſtis, confirmauit nomen eius: & fides, quæ per ipſum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam, in conſpectu omnium veſtrum.* ita Petrus.

Interim Reliquiis etiam Dæmonum exilia, at- 18
que prodigia alia tribuuntur. Quia quãuis Deum authorem primum & ſummum habeant; alias tamen etiam poſſunt habere cauſas. Non ignorabat Dominus in digito Dei eiici Dæmonia:

ſed

ſed tamen & homines verè Dæmonia eiicere, hac ratione confirmat: *In nomine meo Dæmonia eiicient.*

At quam cauſæ rationem in hoc negotio Reliquiæ ſubeunt? Inſtrumẽtalis ſuſpicor. Per Reliquias Deus, tanquam per inſtrumenta quædam, Dæmones pellit: queadmodum eoſdẽ per ignem tanquam iuſtitiæ torquet, & punit. Sed hæc alium locum requirunt. Noſtra perſequamur.

CAPVT XLIV.

Examinatur tertius modus, quo per vſum Signi Crucis Dæmonia ex humanis corporibus eiiciuntur.

1 CRucis rationes & cõſiderationes variæ ſunt. Aliud Crucis Chriſti, aliud ſigni Crucis Chriſti nomine intelligimus. *Crucem* dicimus illud ipſum lignum, in quo Dominus ſalutem noſtram operatus eſt: *Signum* Crucis quidquid illud ſenſibus offert. *De ſigno hic quæſtio eſt.* Nam Crux ipſa ad præcedens, de Reliquiis caput pertinet.

2 Signum verò Crucis duplex poteſt diſtingui. Alterum permanens eſt: alterum tranſiens. Permanens aut ex ligno, aliáve ſolida materia fit, aut colore in plano effigiatur. Trãſiens, mox vbi formatum eſt, eſſe deſinit. Illud in eodem genere ponitur, cũ Imaginibus: hoc inter rationes, quibus Dæmonia profligantur, ſuperius conſtituimus.

3 Huius Tranſeuntis duplex vſus eſt. Quoddam homines ſibi imprimunt (vt cùm pietatis ſtudio, Cruce vel frontem, vel pectus, vel os muniunt:) quod

quoddam alijs à se; vt fit in Sacramentorum, maximè verò Baptismi, Confirmationis, & Extremæ vnctionis administratione; & quando fideli populo, in Ecclesia, ab Episcopis & Sacerdotibus, benedicitur.

Vterque modus antiquissimus est: & non cum 4
paruo fidelium fructu frequentatus. Quod vt in alijs, multis; ita in Dæmonum eiectione & profligatione licet deprehendere, cùm nouum non sit *ex humanis corporibus, virtute Crucis ipsos eiici*, quemadmodum grauissimus testis est, quem superius produximus, Lactantius Firmianus. 5

Nec hîc desunt exempla. Ex multis pauca afferimus. Gregorius Lingonicus Episcopus ex Energumenis, ad se adductis, tantùm facto Signo Crucis iubebat Dæmonia discedere, vt loquitur Gregorius Turonensis, in Vita Patrum cap. 7. Eodem Signo eadem à muliere quâdam exegit Albinus, Andâgauensis Episcopus; quemadmodum testatur Vincentius Lib. 23. cap. 243. 6

Scribit Epiphanius, Hæres. 30. Iosephum quendam, nondũ Christianum, Christi Cruce Dæmonia eiecisse, & deinde Christianũ effectum, eodem Signo Iudæorum incantationes destruxisse. Eadem Cruce vsa est S. Catharina Senensis in illo exigendo Dæmone; qui egrediens horrendos in Obsessi gutture excitauit tumores; vt docet Raimundus in Vita eiusdem, apud Surium, Tom. 4.

Eadem Theodorus Archimandrita; primùm in curanda Principis filia; quæ ab occulto Spiritu per annos 28. graues cruciatus sustinuerat: deinde in muliere, quam Dæmon ex colle quodam egressus inuaserat, misereque torquebat, tertiò in suo

Ostiario tychio, in cuius corpus, præter brachium nihil Spiritus potit. Cruce conatibus eius à S. viro opposita. Hæc Georgius presbytereius discipulus, in Theodori Vita.

Eadem vsus est B. Gemnus, Parisiensis Episcopus; dum occultum quedam ex puella Dæmonem eiecit, siquidem mox post impressam puellæ Crucem, Spiritus per nares, in specie musæ, egressus est. Vide Fortunatum Pictauorum Episcopum, in Vita Germani, cap. 27.

Eadem S. Brigida vidua; in fœminę cuiusdam curatione; quemadmodum Scriptor Vitæ eiusdem testatur Surium. Tom. 4. fol. 350.

Eadem Arnolphus Svvessionensis Episcopus; quando ad ipsum perductus est adolescens Dæmoniacus, qui grauem ab integra Dæmonum legione carnificinam patiabatur; qui quamuis vix vllis vinculis potuerit constringi, mox tamen visa Cruce velut agnus, quieuit, sanctumq; virum adorauit, Scribit hoc in eius Vita Lisiardus Svvessionensis Ecclesiæ Episcopus, cap. 24.

Eadem D. Bernardus; quando Sacrificio Missæ insistens, quotiescunq; hostiam sacram Cruce signabat, etiam Obsessæ mulieri Crucem inpręssit. Vide cap. 46 huius Disputationis. Et tum vsus est, quando à puero Spiritum eiecit, qui molestior & morosior erat, tum maximè; quando puer vel Ecclesiam ingrediebatur; vel aqua benedicta aspergebatur: vel Euangelium audire compellebatur; aut diuinis interesse sacramentis: Vide in Vita Bernardi, cap. 3. libr. 2.

Eadem Mauritius Episcopus Andegauensis in Dæmoniaca liberanda; quem propter ferocientē

Spiri

Spiritum vinculis fuit necessa constri, teste Fortunato in eius Vita.

Crucem quoque pectori Obsessæ impressit S. Laurentius, Archiepiscopus Dublinensis, quemadmodũ & ori eiusdem infudit aquam benedictam: & post vtrunque ad orationem conuersus, Dæmonem eiecit. Ita habetur c.28. eius Vitæ, To.6. apud Surium.

Sic Patroclus, eremi cultor, plurimos Dæmoniacos curasse legitur; sed signo Crucis, teste Gregorio Turonensi, in eius Vita cap.9. Idem Gregorius Turonensis, in Vita, Nicetij Episcopi Treuirensis, refert, quòd sub vestimento suo (volens vitare arrogantiam) Crucem opposuit Dæmoniaco, & sic miserum à Dæmonis vexatione liberauerit. Historiam ad longum, superius Thesi vltima, cap.32. dedimus.

Mirum verò non est Crucis signo Dæmonia ex hominum corporibus pelli. Etiam extra homines constituta, huius vim ferre nequiuerunt, si quando ipsa Christiani olim hoc aggrediebantur & oppugnabant. Expertus est vim Crucis Gregorius Neocæsariensis; quem sæpe contra Dæmones his armis depugnasse testatur Gregorius Nyssenus in eius Vita. 6

Expertus est Miles Georgius, qui ijsdem simulachrum Apollinis confregit, cùm in templum Apollini immolaturus, iussu Diocletiani esset adductus: teste Metaphraste, in eius Vita.

Experta S. Margareta, quæ Cruce Dæmonem, in formâ Draconis sibi appropinquantem, profligauit; vt idem Metaphrastes 27. Iulij scribit.

Expertus sanctissimus Antonius, qui hoc armo-

rum genere, omnibus Nequam Spiritibus fuit terribilis: quemadmodum B. Hieronymus docet, in vita Pauli.

Refert quoque Gregorius Nyssenus, in vita Neocæsariensis, Diaconum Gregorij Neoçæsariensis, Crucis signo munitum exiuisse noctu incolumen ex balneis, inter innumerabilia spectra; ex quibus nemo eorum, qui noctu intrasset, vnquam viuus exierat.

Refert Lactantius, Lib. 4. c. 24. præsente Christiano, qui frontem Cruce signauerat, Diabolum non ausum fuisse Imperatori responsum dare.

7 Adde, quod quamuis etiam pietatis studio hæc Crucis arma contra Dæmones non sumerentur, Dæmones tamen afflixerint, & grauiter torserint. Notum est exemplum Iuliani; qui dum pro Christianorum consuetudine, ipse abiuratus Christianus, se Cruce signat, Dæmones quos euocauerat, fugat, teste *Nazianz.* Oratione in Iulianum.

Sic Lucianus, Epicureus licet, & cuiusuis Religionis illusor, tradit Eucratem dignum fide virum, cùm annulum accepisset ex ferro, vt ait, ex quapiam Cruce facto, aduersus prauos Dæmones redditum esse securũ. Itaque, inquit Cæsar Baronius, Anno Christi 60. quemadmodum Iudæi Exorcistæ, licet in Iesum Christum non crederent; tamen quod sciret à Paulo & aliis Christianis in nomine Iesu pelli Dæmones & ipsi eodem nomine ad dimouendos eos, ab Obsessis hominibus vtebantur: ita Magi, quod à Christianis feliciter factitari videbãt, nimirum Crucis virtute eos Dæmonibus imperare; & ipsi ad coercendos, cùm opus esset, impetus Dæmonum signo Crucis vti voluerunt.

Habent

Habent hîc suum locum egregiæ Patrum sententiæ D. Basilius lib. de Spiritu sancto Crucem vocat *saluberrimum remedium* ad pellendos Dæmones. Ephrem de pœnit. c. 3. asserit *insuperabilem Christianorum armaturam.* Idem cap. 2. lib. de Armatura spirituali, sic ait. Scuti vice, Crucis te muni: validissima enim armatura est. Origenes in eandem sententiam loquitur, Hom. 6. in 5. ca. Exodi. Timor & tremor, inquit, cadunt super Dæmones, cùm signum in vobis viderint Crucis fideliter fixum. Idem, Homilia 8. ad diuersos sic habet: Immortale labarum (Crucem) portemus in frontibus nostris. Cum Dæmones hoc viderint contremiscent, qui aurata Capitolia non timent. B. Augustin. ad Catechumenos, docet idcirco eos Cruce signari, vt Dæmonibus sint terrori. B. Antonius, teste Athanasio in eius vita, contra omnes terrores, solo Crucis signo iubebat securos esse Monachos. Paulinus pro Cruce sic cecinit, Natali 8. S. Felicis.

Non Crucis inuictæ signum, & confessio munit,
Armatique Deo mentem, non quærimus arma
Corporis: & quanquam membris videamur inermes:
Arma tamen gerimus, quibus & sub pace serena
Contra incorporeos animis decernimus hostes.

Quocirca non otiosa est hæc Cyrilli exhortatio: Non pudeat, inquit, vos, Christum crucifixum confiteri: sed in fronte confidenter signum Crucis digitis imprimatur: & in alijs omnibus Crux fiat: in panibus comedendis, & in poculis bibendis, & ingressu, & in ingressu: ante somnum recumbendo, & surgendo; eundo & quiescendo. Magna hæc est custodia: quæ propter pauperes gratis da-

datur: ſine labore propter infirmos: cùm à Deo ſit hæc gratia & timor Dæmonum. Triumphauit enim de illo hoc ſigno. Oſtenta illi audacter, quando enim viderint Crucem, recordantur crucifixi: metu enim eum, qui contriuit capita Draconis. ita Cyrillus Hieroſolymitanus Cathech. 9.

9 Et profectò haud dubitauerim hanc præcipuam, aut certè inter præcipuas, cauſam eſſe; cur tantus *Vſus* Crucis apud Chriſtianos omni tempore fuerit; vt (quemadmodum loquitur Tertullianus, de Coro. milit. cap. 3.) triuerit frontem Crucis ſigno: ad omnem progreſſum atque promotum; ad omnem aditum & exitum ad veſtitum, ad calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubicula, ad ſedilia; breuiter, quacunque nos conuerſatio exercet. Vt mirum non ſit, quod Theodoretu refert, militem quendam inde agnitum eſſe Chriſtianum, quod ad omnem potum ſignaret poculum. Vide capit. 16. lib. 3. Theod.

9 Quòd ſi veterum Hiſtorias repetamus, & quas res Deus per Crucis ſignum voluerit perficere, atque adeò perfecerit, diligentius expandere; neque mirabimur, quòd Dæmones Crucis ſignum ferre nequiuerint: neque quòd religioſiſſimè illo vſi ſint Maiores noſtri. Incredibilia propemodum ſunt, & infinita, pro hac re argumenta. Refert Palladius, in hiſtoria Luſan. cap. 2. ſenem quendam, cùm in puteo aſpidem vidiſſet, ſigno Crucis puteum muniuiſſe; ac deinde ſine timore aquam hauſiſſe, & hauſtam ſine vllo detrimento bibiſſe. Alium item fuiſſe, (id cap. 54. habet) qui ſigno Crucis munitus in mediis flammis longo tempore perdurarit;

legiſſe etiam ſe librum Hippolyti, de Virgine, quæ cùm corporis ſui copiam Iudici negaſſet, in poſtribulum ſit detruſa, ſed ſigno crucis liberata. Vide cap. 149.

Teſtatur Theodoretus per Iulianum & Martianũ Martyres, ingentes Dracones ſigno Crucis occiſos eſſe: Sanctos item Aphraatem & Macedonium, Petrum, & alios, eodem ſigno varios morbos curaſſe. In Vita ipſorum.

Cæco Cruce lumen oculorum reſtituit Eugenius Epiſcopus, vt habet Victor Vticenſis, de Perſecutione VVandalica, & Laurentius Martyr, vt notauit Ado Treuerenſis.

Iuſſus erat ab Imperatoris Diocletiani Præfectis Tiburtius, aut ſimulachris immolare, aut ſuper ardentes carbones amnulare: Poſterius Martyr eligit: ſed ſigno Crucis ſe muniens, aduerſi patitur nihil. ita Metaphraſtes.

Archidiaconus quidam, vt ſcribit D. Gregorius, Epiſcopo Sabino venenum propinauerat: hic Cruce facta venenum ſumit: & moleſtiam ſenſit nullam.

Poſt mortem Iuliani Imp. mare terminos egreſſum, quaſi nouum diluuium minabatur: rei nouitate perculſi indigenæ, in Epidauro Dalmatiæ ciuitate, S. Hilarionem adducunt, atque in littore conſtitutum rogant; vt precibus ſuis mare, iramque Dei auerteret. Quid Hilarion? Tribus in arena Crucibus factis, manus contra fluctus eleuat: & ecce, ſubitò in modum muri eriguntur, & quaſi vim ſibi fieri ſentientes, paulatim recedunt. Hoc Hieronymus in Vita Hilar.

Quo tempore Mauritius rerum potiebatur,

veniunt Cõstantinopolim à Rege Cosdroa missi. Interrogati ab Imperatore, cur signum Crucis in frontibus gererent (omnium enim frons Cruce signata erat) cum Cruci nullum honorem putarent deferendum, responderunt, Signum hoc ingentis beneficii esse symbolum: hoc se olim à sæuiente peste liberatos fuisse, cum à Christianis edocti tali signo frõtẽ signassent. ita Nicephorus.

S. Martini hæc ad Iulianum oratio fuit: Ego, inquit, signo Crucis, non clypeo protectus, aut galea, hostium cuneos penetrabo securus. Sulp. in Vita eius. Prudentius, pro hac re, in hymno ante somnum sic cecinit:

Fac cùm vocante somno,
Castum petis cubile,
Frontem locúmque cordis,
Crucis figura signes.
Crux pellit omne crimen,
Fugiunt Crucem tenebræ,
Tali dicata signo,
Mens fluctuare nescit.

His addimus vnum ex Augustino, & quidem Augustini verbis. 22. de Ciuit. c. 8. In Carthagine, inquit, Innocentia religiosissima fæmina, de primariis ipsius ciuitatis, in mamilla cancrũ habebat: rẽ sicut medici dicunt, nullis medicamentis sanabilem. Hoc illa à perito medico, & suæ domui familiarissimo acceperat: & ad solũ Deũ orãdo se conuerterat. Admonetur in somnis appropinquante Pascha, vt in parte fæminarũ obseruanti ab baptisterium, quæcunque illi primitus baptizata occurrisset, signaret in locũ signo Crucis Christi. fecit, & confestim sanitas secuta est. Hæc Augustinus.

Quæ

Quæ cùm ita ſint, mirum eſt noſtris temporibus inueniri homines; qui nullam Crucis vim cótra Dæmones eſſe velint: Tribuant etiam eorundem *aſtutiæ*, ſi quando ad hoc ſignum diſcedunt: quaſi, Nequam, hominum ſuperſtitionem hac fuga, quam ſimulare dicuntur, fouere & promouere intendant. 11

12 Si in Dæmonum fuga vim Crucis nullam agnoſcunt: quid dicent, ad tot, tanta, tam certa prodigia, quæ ſolo Crucis ſignaculo ſunt perfecta? ad profligatos morbos? ad reſtitutam ſanitatem? ad hauſtum ſine detrimento, & ſalutis iactura venenum? ad ſublatos ingentes dracones? ad fractos & repulſos maris fluctus? ad hoſtes proſtratos? ad deiecta, & confracta ſimulachra? ad innumera alia, quæ Dæmonis arte perfici non potuerunt?

Mirum eſt poſſe Dæmonibus vim hanc tribui: 13
cùm vniuerſa antiquitas illam, non Dæmonibus, ſed ſignaculo tribuerit Crucis. Mirum eſt dici poſſe, ſuperſtitionis hæc eſſe argumenta: cùm à viris ſanctiſſimis, qui Dæmonum coniuratiſſimi hoſtes fuerunt, veluti Chriſtianæ religionis firma præſidia, ad omnia aduerſa profliganda, fuerint aſſumpta. Mirum eſt dici poſſe, illos colluſiſſe cum Dæmonibus; quorum nec viuorum præſentiam; nec mortuorum cineres Nequam Spiritus ſuſtinere potuerunt.

Nos hic Dæmonum non aſtutiam; ſed infirmi- 14
tatem intelligimus: quando ad Crucis ſignum diſcedunt, Vt in alijs omnibus, quæ Theſi 10. recenſuimus; ita in Dæmonum eiectione Crucis virtutem agnoſcimus. Crucem ad pellendos Spiritus *ſaluberrimum remedium*, cùm Baſilio, credimus, &

profitemur. *Veniat*, dicimus cum Athanasio (libro de Incarnatione & salutari Domini aduentu) *veniat*, inquam, qui istorum dictorum experimentum capere velit, & in ipsis præstigiis Dæmonum, & imposturis vaticinorum, & in miraculis Magiæ, vtatur signo Crucis ab ipsis deriso: noménque Christi inuocet: & videbit, quomodo eius rei metu Dæmones fugiant, vaticinia conquiescant, magiæ & veneficia iaceant. Hactenus Athanas.

15 Sed *quæ causa est*, quæret aliquis, *vt ad Crucis signum Dæmones fugiant?* Quæstio hæc, etsi curiosa
videatur: non tamen inutilem habet disputationẽ.
Quæritur enim, Sit ne aliqua virtus in Cruce, quæ
Dæmones torquet: aut potius odium ipsius Crucis in ipsis tantum sit, vt potius cum dedecore ma-
16 lint cedere: quàm cum molestia Crucẽ sustinere.

Et virtus quidem duobus modis Signo huic inesse intelligi potest. Prior est, vt quemadmodũ cæteris rebus virtus impressa est, qua agant: ita quoque signo Crucis sit impressa, posterior, vt nõ quidem ipsi virtus sit impressa: sed tanquam instrumentum Dei assumatur, quod Deus ex se, atque *opere operato*, vt in scolis loquimur, valere ve-
17 lit ad Dæmones profligandos.

Dici nullo modo potest Cruci, quæ in aëre formatur, aut fronti imprimitur, vim ea ratione inesse: qua sua rebus naturalibus dicitur inesse. Si, quod naturæ viribus habeat, consideremus, vires nullas alia hæc Crucis signatio in aëre facta, habebit: quàm quæcunque digito aut manu hominis
18 in aëre formata, figura.

Quod Deus Cruce, tanquam instrumento, &

vt

vt diximus, *ex opere operato* Dæmonia proffligari velit, admodum eſt veriſimile: & quidem ſi non aliunde, certè ex illo, quòd ſæpe homines Iudæi & Ethnici, ſine vera fide, aut deuotione, ſigno Crucis adiuti ſint. Hoc de Iuliano teſtatur Nazianzenus, Ora. in Iulian. de Ioſepho Hebræo Epiphanius Hæreſ. 30. His addimus Hebræum alium, cuius B. Gregorius meminit, lib. 3. Dial. cap. 3. & inſignem B. Auguſtini ſententiam: qui ita loquitur (quæſtione 79. qq 83. Nec mirum, inquit, quod hæc Signa valent, cùm à bonis Chriſtianis adhibentur: quando etiam cùm vſurpatur ab extraneis, qui omninò ſuum nomen ad iſtam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentiſſimi Imperatoris valent. Cùm autem non cedunt Signis his huiuſmodi Poteſtates: Deus ipſe prohibet occultis modis, cùm id iuſtum atque vtile iudicat. Nam nullo modo vlli Spiritus audent hæc Signa contemnere: contremiſcunt hæc, vbicunque illa proſpexerint, ita B. Auguſtinus.

Hominum *pietas, vt ad alia omnia,* Apoſtolo teſte, ita etiam hic vtilis eſt, & valet. Quando enim Signum hoc pietatis ſtudio aſſumunt: Chriſti merita, Crucis ſigno quaſi expreſſa: poſtulant, & inuocant. Quocirca Dæmonibus ſignum Crucis opponere; eſt Chriſti paſſionem opponere: & Deum per Chriſti merita inuocare. An non hæc plurimum valens. 19 *1. Tim. 4.*

Sed odium Dæmonum maximè hic valet. Incredibile eſt, quantum ſit illud erga Chriſti Crucem. Itaque vt nos res inuiſas & odioſas: ita illi Crucem deteſtantur & fugiunt. 20

Odij huius, ni fallor, cauſæ duæ ſunt, præcipua 21 *Col. ſſ. 2.*
eſt,

Coloss. 2. est, quia Signo hoc, vires eorum fractæ, & regnum dissolutum, *Christus enim* (inquit Apostolus) *chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, tulit, de medio, affigens illud Cruci, expolians Principatus & Potestates, traduxit palam confidenter, triumphans illos in semetipso*: Quocirca vt canis baculum, quo percussus est detestatur; ita Diaboli Crucem.

22 Altera causa odij ex fructu, quem ex Signo hoc fideles carpere possunt, oritur. Neque enim hic paruus est. Atque, vt non dicam hoc Signo refricari passionis Christi memoriam, quæ maximum emolumentum importat; explicat idem, primò, totam perfectionem Christianam. Profundum crucis insinuat fidem; sublimitas spem: latitudo perseuerantiam: quæ si in Christiano inueniuntur, perfectum constituunt. Explicat deinde; effectum Christi Passionis, qui est cœli patefactio: quod cacumen crucis insinuat: inferni vastitas & solitudo: quod productio eiusdem ad pectus vsque: & totius orbis redemptio & salus: quod productio manus à sinistro ad dextrum latus: Hactenus de tertio modo.

CAPVT XLV.

Examinatur quartus modus, quo per vsum Rerum Consecratarum Dæmonia ex humanis corporibus eijciuntur.

QVarta ratio Dæmones eijciendi est, vt diximus, per *Vsum Rerum Consecratarum*. Hæc à præcedentibus tribus hoc videtur differre, quòd quam

quamcunque in Dæmonia potestatem habet: illam accipiat, per Orationem & Verbum Dei: cum priores illæ, non ab Ecclesiæ oratione: sed aliunde vim suam habeant.

Ratio hæc simplex non est: quemadmodum nec vnum eorum genus, quæ consecrantur & benedicuntur. Benedicitur *aqua:* benedicitur *sal:* benedicuntur *herbæ:* benedicũtur *Imagines ceræ,* quas ab effigie, ceræ impressa, *Agnus Dei* dicimus, & quidem benedicuntur hæ res, non ob eum finem, vt à Dæmonum infestationibus sint liberæ, (quomodo aliæ quædam benedicuntur,) sed vt ijs contra Dęmonum infestationes, & molestias vtamur. 2

Quod dicimus, ex formulis, quibus Ecclesia in harum rerum benedictione vtitur, licet colligere, in *Salis* benedictione sic orat: Immensam clemētiam tuam, Omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, vt hanc creaturam Salis, quam in vsum generis humani tribuisti, benedicere, & sanctificare digneris, vt sit omnibus sumentibus sanitas animæ & corporis: & quicquid ex eo tactum, vel aspersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritualis nequitiæ. Per Domin. In consecratione Aquæ, hac forma vtitur: Deus, qui ad salutem humani generis maxima quæque Sacramenta, in aquarum substantia condidisti; adesto propitius inuocationibus nostris: & elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuæ benedictionis infunde: vt creatura tua mysterijs tuis seruiens, ad abigendos Dæmones, morbósque pellendos diuinæ gratiæ sumat effectum, &c. Sic dum Herbas, & Ramos benedicit: rogat, vt quicunque ex ijs acceperint: 3

accipiant ſibi ad protectionem mẽtis.& corporis, &c.Dũ Cereas Imagines,inter alia ſic orat. Quæſumus, Domine, hos Agnos, quos de Cera virginea, in tuum honorem formauimus, ſacra & perenni vnda,balſamóque ſacri Chriſmatis perfuſos, benedicere, ſanctificare & conſecrare digneris: quatenus à te benedicti,virtutem accipiant contra omnia diabolica tentamẽta:& omnes porttães tuti eſſe poſſint,inter aduerſa & proſpera:vt tua conſolatione accepta, nullum periculum timeant, nullæmqúe formident vmbram: nulla ſæuitia diabolica,aut verſutia humana iis noceat: ſed fortitudine tuæ virtutis roborati,tua conſolatione glorientur,qui verè paracletus diceris, &c.

4 Hæ Eccleſiæ ſunt precationes. Quem harum effectum eſſe iudicamus? Si,quod Dominus dixit: *Quidquid petierimus Patrem in eius nomine, conſecuturi ſumus*, an hic noſtro deſiderio fruſtrabimur? Et cùm oramus, vt creaturas ſuas ad Dæmones profligandos valere velit,vota noſtra reiiciet?

5 Fortè non in eius(Chriſti)nomine hæc à Patre petuntur:Sed petifinis ſingularum, quo *Per Dominum noſtrum*,&c.tribui poſtulamus,probat.Fortè,quòd verbis confitemur,rebus negamus, dum quod ſuperſtitioſum eſt,& diuinis legibus contrariũ,poſtulamus.Et quid illud?Quòd creaturas benedici volumus? Quòd iam benedictas volumus valere ad res prodigioſas perficiendas? Quòd ad Dæmones profligandos vim tribui rogamus?Sed hæc ſuperſtitioſa non ſunt.Non aduerſatur diuinis legibus creaturarum Benedictio. Non Opinio, quod à benedictæ ad res prodigioſas valeant? Non Opinio,quod valeant ad Dæmonum ex humanis

corpo

corporibus eiectionem. Docemus hæc tria.

Primùm omnium, *Creaturas benedicere* superstitiosum non est, nec diuinis contrarium legibus. Quòd superstitiosum est, omnibus superstitiosum est: Quòd diuinis legibus repugnat, nec ipse Deus vult sibi esse permissum. Quid inde? quid? Superstitione vacare creaturarum benedictionem: non repugnare diuinis legibus. Quamobrem verò? quia Deum creaturas benedixisse, tam est certum, quàm quod certissimum.

Fortè, quia à Deo Creaturæ benedictæ sunt, ne secundò benedicantur, cauendum est. Cur quæso? an quod semel benefactum est, secundò fieri nequit? vbi nulla lex est, quæ, ne factum repetatur, prohibet? Sed nec eo, quod Deus, fine nunc creaturas benedicimus. Nos benedictione petimus da morbos pellendos, Dæmonésque eiiciendos valere. Hoc in prima rerum conditione, quando ipsis Deus benedixit, propositum non fuit. 7

Adde, quod nec Saluator culpa careret: Neque enim semel hac benedictione ille vsus est. Vsus est antequam ex hac vita discederet: & postquam gloriosus à morte resurrexit. Vsus est in deserto, & in Emaus. An fortè, quam initio conditi orbis, rebus omnibus Deus benedictionem contulit: illa ad panes, quibus Dominus benedixit non pertinet? 8

Quas res possumus maledicere; easdem benedicere possumus. Hoc nullus negauerit. At creaturas maledicere possumus: Poterimus igitur & benedicere. Assumptio certa est, quoniam & in Noua lege maledixit Dominus ficum: & in Veteri, si quando occultum crimen adulterij prodi debuit, 9 *Marc 11.* *Num. 5.*

debuit, id aquis à sacerdote maledictis, Deus fieri voluit.

10 *Noua* res in Christi Ecclesia non est Creaturarum benedictio. Magnam habet authoritatem à veneranda Antiquitate. *Oleum*, quo Apostoli infirmos curabant, benedictione mystica hanc virtutem habebat. Benedictum *oleum* fuit, quod per Proculum Christianum administrari solitum, scribit Tertullianus ad Scapul. 4. cap. D. Basilius, libro de Spiritu sancto, docet Apostolicam esse Traditionem, quòd *aquam* benedicimus. Sed Antiquitatem probat maximè Oratio, quæ inter Constitutiones à Clemente conscriptas, repetitur. Ibi sic dicitur. Domine Sabaoth, Deus virtutum, Creator aquarum, & dator olei, misericors & benigne, qui dedisti aquam, ad potum & mundiciem; oleũ ad exhilarandam faciem in exultatione lætitiæ, ipse quoque nunc sanctifica aquam, & hoc oleum, in nomine eorum, qui attulerunt; & da virtutem sanitatis effectricem, ægritudinum expultricem, Dæmonum fugatricem, omnibus insidijs aduersariam, per Christum, qui est spes nostra, quo cum tibi gloria & honor, & cultus, cum Spiritu sancto Amen.

Marc 7.

11 Cæterùm, quemadmodum noua non est; ita nec *rara* fuit, in Christi Ecclesia, Creaturarum Benedictio. Hoc primum, in *aqua*, multorum testimonio clarum est. Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia dicit *aquam* sacris inuocationibus cõsecrari. Cyrillus catech. 3. docet simplicem *aquam* fieri sanctam, inuocatione Dei. Cyprianus libr. 1. Epist. 3. *Oportet*, inquit, *aquas prius mundari, & sanctificari à Sacerdote*, Ambrosius lib. de his, qui myst.

initian

initiantur, cap. 3. docet *aquam*, nisi signo crucis priùs sacretur, nullum habere vsum in Ecclesia. Denique benedictæ *aquæ* meminerunt Epiphanius Hæres. 30. Theodoretus, lib. 5. cap. 21. August. Homi. 27. ex 50. Homil. & sermone 19. de Sanctis, & libr. 6. in Iulianum, cap. 8.

Similia pro aliarum rerum consecratione & be- 12
nedictione sunt testimonia. Benedictionis *olei* meminerunt Clemẽs, Dionysius & Tertullianus locis citatis, & Augustinus tractatu 118. in Ioannem.

Benedictionis *panis* extra Eucharistiam B. Au- 13
gustinus libro secundo, de Peccatorum meritis, ca. 26. & Paulinus in Epistolis ad Alipium & Romanianum: quæ sunt 35. & 36. inter Epistolas diui. August. Benedictionis *Cerei* paschalis Strabo, cap. 30. & Patres in Concilio *Toletano* IIII. can. 8, Benedictionis *Palmarum*, & Cinerum beatus Maximus cuius extant Homiliæ inscriptæ in die Cinerum, & in Dominica Palmarum. &c. Hæc pro primo Capite,

Sequitur, vt doceamus (quod secundum erat) 14
sine crimine fieri, quòd Creaturæ ad prodigiosos effectus & qui naturam superant, adhibeantur. Pro hoc autem argumento egregiè militant sacrarum Scripturarum documenta, non ex Veteris solùm: verùm etiam ex Noui Testamenti libris deprompta. Laborans incurabili morbo Naaman Syrus, venit ad Prophetam Elisæum, ab eo sanitatem petiturus: & ecce, postquam, vt iussus, *septies in Iordane se lauit, mox aquarum beneficio pristinæ sanitati restitutus est.* Quàm prodigiosũ est, quod, Numeror. 5. legitur? vt ad sumptam aquam, in quam maledicta congessisset Sacerdos, *adulteræ computrescat femur:*

& tumens vterus disrumpatur? Hæc Veteris Testamēti. Noui est illud, quòd Euangelista refert *oleo vsos esse Apostolos in infirmitatum quaruncunque expulsione*: & quòd *de aqua probatica dicitur ab Angelo mota* quæ primum ipsam intranti præsentissimam sanitatem afferebat.

14 Præterea nec in ijs reb. de quib. est disputatio, hic desunt exempla. Docem. id primùm in *Aqua benedicta*. Magnam locustarum vim omnia consumentem, *hac aqua* proffligasse B. Aphratem narrat Theodoretus, in eius Vita Eadem *aqua* in quatuor partes fusa eosdem ex horto quondā abegit Theodorus Sicæorum Archimandrita: vt habet Metaphrastes, in eius Vita: quemadmodum, eodem teste, aliàs Ancyrænorum iumenta à sæuiente peste liberauit.

Confregit hac tumescentes, & inualescentes maris fluctus, quos Dęmon, viri sancti in Angliam aduentum impedire volens, excitauerat, sanctus Germanus, vt habet Beda in Histor. Angl. lib. 1. cap. 17.

Quintianus, Auernæ Episcopus, domum Hortensij cuiusdam, in qua febris omnes corripuerat, hac aspersit, & mox sanitas secuta est, ita Gregorius Turonensis, in eius Vita.

Hac morti proximum filium Eueliæ, mulieris Antiochenæ, liberat, & sanitati restituit beatus Chrysost. teste Metaphraste, 13. Nouembr. quemadmodum iam extremis corporis partib. mortuum famulum Comitis cuiusdam Anglicani Guitbertus Hyberniæ Episcopus: vt in eius vita habet Venerabilis Beda.

Sanauit hac paralyticum S. Brigida (Surius in eius

eius Vita) leprosum & cæcum. S. Theodorus, cuius superius meminimus: febri & difficultate partus laborantes diuus Bernardus, vt in eius Vita scribit Bernardus Bonauallensis, li. 2. cap. 3.

Præterea Gothus quidam in itinere ex equo cadens, coxam confregerat, vt B. Gregorius scribit. lib. 1. Dialog. cap. 16. rogat mox Fortunatum Episcopum Tudertinum pro salute: Ille aqua benedicta coxam aspergit, &c, & ecce, omnis fractura ita solidata est, vt lecto surgeret: & ascenso equo iter inceptum perficeret.

B. Marcellus, Episcopus Apameæ, omnem Diaboli conatum, ne Iouis Apameni famosum delubrum combureretur obnitentis, aquæ, crucis signo benedictæ, vsu penitus superauit. Rem hanc fusius describit Theodoretus, lib. 5. cap. 21.

Henricus Raceburgensis Comes captos tenebat Parisios, multis tormentis in eos sęuiens. Intercessit pro ipsis Euernoldus Raceburgensis Episcopus: sed nihil proficit. Dies erat solennis Paschæ, cum captiui in catenis sub custodia starent in Ecclesia. Circuiens Pontifex, cùm fideles aqua benedicta aspergeret: captiuorum quoque aspergens catenam, dixit: *Dominus soluit compeditos*. Quid deinde? Mox catena dissilijt, illis liberè discedentibus. In facti testimonium catena seruatur. Hæc Krantius lib. 5. Vandaliæ.

Nimis fuimus in exemplis pro Aquę benedictæ 15
virtute confirmanda: Non dubium, tædium nostra oratio afferret, si similem syluam in reliquis produceremus. Modus igitur orationi imponendus est. Sufficiet vnum aut alterum in alijs producere. Igitur *Oleo benedicto* plurimos curauit

Hilarion, teste Beato Hieronymo, in eius Vita. Eodem ad sanitates impertiendas vsos esse Monachos Aegypti, scribit Sozomenus, lib. cap. 21. & 29. & ante ipsum Ruffinus, li. 2. ca. 4. Eodem Theodorum Archimandritam expulisse Cacodæmonem, qui mirum cruciatum & tremorem mēbris obsessi nautæ afferebat: scribit in Vita Theodori Præsbyter Georgius. Et de Vrsmaro legitur apud Ratherium, Veronensem Episcopum, in Vita Vrsmari, quòd Monialis, à qua Dæmonem eiecit, & os, & oculos, & nares Oleo benedicto liniuerit.

16 *Salis benedicti* meminit Gregorius Turonensis in vita S. Monegūdis, quæ anno Domini 560. vixit Rogabatur illa, vt quia mortua infirmis (quod viua fecerat) mederi non posset, olæum salemque benediceret: quæ ægrotantib. benedictionem flagitantib: ministrarentur. Paret votis, & quidem cum plurimorum emolumento: quoniam, vt idem Gregorius loquitur, de memorata benedictione multi post eius transitum ægroti incolumitatis beneficia sunt experti.

17 De cerea Imagine, quæ Agnus Dei dicitur, ita scribit Molanus, anno 1568. cùm Princeps Auriacus numeroso exercitu in Brabantiam irrumpere tentaret: in agro Iuliacensi, prope Traiectum ad Mosam quendam Hispanum captiuum habuit, quem capitis damnatum, milites arbori alligatum, sclopetis, vel bombardis occidere conabātur. Verùm frustra sua in illum emiserunt tormenta ænea. Tantum enim abfuit, vt illum sic arbori alligatum bōbardis transuerberare, vt nec creberrimis emissionibus lædere potuerint. Quo viso obstupefacti, cœperunt eum suis spoliare vestibus, arbitrantes homi

hominem occultis quibusdam armaturis communitum, quas vis tormentorum penetrare non potuerit, verùm nihil præsidij ab ipsis inuentum fuit, præter dependens ex collo amuletum Agni, quo eidem sublato, primo ictu bombardæ extinctus, occubuit. Hæc Molanus, teste Petro Matthæo in VII. Decretalium. Plura huius generis nostra ætas obseruauit, & eorum superstitum adhuc testimonio, qui virtutem huius Imaginis experti sunt, possunt confirmari: vt non errasse iudicemus, qui de hac re cecinit:

Pellitur hoc signo tentatio Dæmonis atri,
Et pietas animo surgit, abitque timor.
Hoc aconita fugit, subitaque pericula mortis,
Hoc & ab insidijs vindice tutus eris.
Fulmina ne feriant, ne sæua tonitrua lædant,
Ne mala tempestas obruat, istud habe,
Vndarum discrimen idem propulsat, & ignis.
Illáque ne noceat vis inimica, valet.
Hoc facilem partum tribuente puerpera fœtum,
Incolumen mundo proferet, atque Deo.

Clariùs & breuiùs quidam hæc sequentibus est complexus.

Fulmina pellit,
Crimina mundat.
Dæmonas arcet.
Liberat igni.
Seruat ab vndis,
Mortéque prompta
Subiugat hostes,
Et parientem
Prole secundat.
Plurima dignis
Munera confert:
Paruáque tantum
Portio prodest,
Maxima quantum.

Hæc, quæ diximus, Rebus Consecratis fieri potuerunt: *non poterunt, ijsdem.* (quod tertium Caput est) *exigi ex hominum corporibus Dæmones?* Si causas

ſcrtemur:cur, quæ iā mirabilia recenſuimus, Rerum Conſecrarum beneficio patrata ſunt, aliam vix inueniemus,quàm quòd Eccleſiæ oratione atque conſecratione hanc virtutem ſint conſecutæ. Verum quemadmodum rogatus Deus eſt, vt has Creaturas valere velit ad profligandos morbos:ad tempeſtates auertendas, &c. ita rogatus eſt,vt valere velit ad Dæmonia profligenda. Ac fortè hic manum ſuam retraxiſſe, auxilium denegaſſe putandus eſt:qui in aliis rebus tam fuit liberalis, & munificus?

19 Fortè rebus ſenſibilibus & corporeis non abiguntur Dæmones:nec ad ipſos pellendos vim vllam habent.Etiam his abiguntur: etiam hæ vim habent. Nec hic exempla deſiderantur. Nónne, quando cytharam pulſabat Dauid, Dæmonium relinquebat Regem Saul?Et fel,quod iuſſu Angeli ex piſce detraxit Tobias, nónne vim habuit fugandi Dæmones? Quid quod Salomon herbis in Dæmonum eiectione vti voluerit?Vide Ioſeph. li. 8. Antiquit. cap. 2.

20 Senſibiles res ſunt,quæ in aërē formantur,voces: dum Chriiſti nomen imploramus:Senſibiles,quas digitis formamus Cruces: Senſibiles, Sanctorum Reliquiæ: ſed tamen harum beneficio inſenſibilium atque incorporeorum Spirituum vis fracta eſt: ad harum præſentiam ſubſiſtere nequiuerunt Nequam Spiritus:quemadm odum Cap. 42. & ſequentib. demonſtratum eſt.

21 Fieri igitur poteſt,vt his rebus Dæmones fugentur. Sed non quid *fieri* poſſit, tantùm doceam vs oſtendamus quoque *id factum eſſe*. Oſtendimus. Primùm ſe hîc nobis offert Sanctus vir Macharius.

Hunc

Hunc *Aqua benedicta* puerum Dæmoniacum ſanaſſe docet Palladius, in libro, qui inſcribitur Paradiſus Heraclidis, cap. 6.

Offert ſe ſecundò Eligius Nouiomenſis ſanctus Epiſcopus, Nitebatur hic impias quaſdam ſuperſtitiones, in quodam vico, haud procul à Nouiomenſi oppido, tollere: verùm, vbi pluribus concionibus nihil proficeret, iniuria etiam, atque contumelia ab auditorib. afficeretur: exemplum Apoſtoli ſecutus, *tradit ipſos Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fieret.* Currunt hinc ad Sanctum virum Obſeſſorum amici, auxilium magnis deſiderijs poſtulantes: ſed hoc non niſi poſt vnius anni pœnitentiam, promittit Eligius. Tum ad ſe adductos (erant autem plures quinquaginta) *Aquæ benedictæ* aſperſione à Spiritibus liberat. Hæc Audoënus, Rhotomagenſis Epiſcopus in Vita eius, lib. 2. cap. 20.

Eſt tertiò puer quidam, à parentib. Sancto Euchario oblatus, vt ad præſcriptum Regulæ, cum alijs, in monaſterio inſtitueretur: Hic cum aliquando à Dæmone (in forma hominis) oblatam aquam antequam eandem Cruce ſignaſſet, bibiſſet: ab eodem poſſidetur. Mox ad S. Eucharij altare adducitur. fiunt pro ipſo orationes, ſacratur aqua, offertur bibenda. hauſta ſubitò abactus Dæmon. ita Surius in Hiſtoria Inuentionis ſancti Celſi, cap. 11. To. 7.

Dictis addimus quartum. Arnolphus, Epiſcopus Svveſſionenſis, pacem inter quoſdam compoſiturus erat. Hic dum quidam ipſi reſiſtit: &, ne oratione viri Sancti ad pacem cogitatur, fugit, à Dæmone in fuga corripitur. Quid deinde? Pro

Obſeſſi ſanitate rogant alij:& illam, fide pacis admittendæ data,obtinent:ſed beneficio *Aquæ benedictæ*,qua Dæmoniacum Sanctus vir aſperſit. Hoc Liſiardus Epiſcopus Svveſſionenſis, in eius Vita. cap. 24.

Ad S.Bernardum(hoc quintum ſit) puer triennio grauiſſimè ab obſidente Dæmone tortus adducitur ſpe libertatis conſequendæ.Iubet poſt alia Bernardus in os Obſeſſi *aquam conſecratam* infundi ſed contra niti Dæmon cœpit, labia comprimere, & frendere dentibus.Tandem ſordidiſſimo poſt ſe vomitu relicto eſt egreſſus.In Vita Bernardi, lib. 2. cap. 3.

Seruiunt quoque nobis hic S.Laurentius,Dublinenſis Archiepiſcopus; & Maltonius Epiſcopus, cuius Vitam deſcribit Sigebertus. vterq;in Energumenorum curatione *Aquam benedictam* putauit ad eandem hauſtam in fugam coniecti ſunt Spiritus:quemadmodum in vtriuſque Vita manifeſtum eſt,apud Surium, Tom. 6.

Et in vita S.Eliſabethæ,Hungariæ Reginæ,ſcribit Iacobus Spirenſis,cap. 30. quod ad ſarcophagum eius adducta ſit puella:quæ ad malam parentum imprecationem Dæmonis torturam patiebatur:& priſtinæ incolumitati ſit reſtituta, mox, vbi parum *benedicti panis, & ſacræ vndæ* hauſit.

22 His ſimilia ſunt, aut potius hæc confirmant ſequentia. Domus cuiuſdam, inquit Metaphraſtes, multùm à Dæmonibus vexabatur.Cùm Domeſtici pranderent, aut cœnarent,lapides ſuper menſas iaciebantur: rumpebantur telæ mulierum : Tanta quoque multitudo murium & ſerpentum domum

occu

occupabat, vt præ formidine nemo eam ingredi auderet. Ingressus tamen ad aliorum preces Theodorus Sicæorum Archimādrita; & post orationem, *Aqua*, cui benedixerat, totam aspergit & à Spiritibus immundis liberat. ita Metaphrastes in eius Vita.

Fuit quoque Dæmonium, quod iam triēnium in Pago Camonte, non procul à Bingio, suis præstigiis Moguntinam ciuitatem, & vicinos incolas affligebat, & illud tādem Sacerdotes Litaniis, & *Aqua benedicta* abegerunt, teste Sigeberto, ann. 858. Eodem modo Mogūtiæ domum quandam liberatam esse scribit Bernardus Crucius in Vita Ludouici II. Imperatoris. Itaque verissimè dici putamus: *Huius aquæ tectus depelli Dæmonis actus.*

CAP. XLVI.

Examinatur quintus modus, quo per Exorcismos Dæmonia ex hominum corporibus eiiciuntur.

EXorcismi nomine, hoc loco, illam rationem intelligimus, qua per Deum Spiritus Nequā adiurātur; &, vt ab humanis corporibus discedāt, Deóque Creaturam suam, quam possident, restituant, & vexare desinant, coguntur. 1

Hanc antiquissimam esse Cypriani Martyris, & Prudētij Christiani Poetæ testimonio clarum est. Addimus vtrique Tertullianū, vt in ore trium omne stet verbum. Ille quodam loco lib. de Præscript. cap. 40. in mulierculas quasdam, quæ exorcizare præsumebant, his verbis inuehitur. Ipsæ mulieres Hæreticæ, quam procaces? Quæ audeāt docere? exorcistas agere? &c.

Non paruas esse huius vires probant clamores, gemitus, eiulatus; quos in obsessis hominibus sæpissimè Dæmones dederũt. de quibus ita Cyprianus: de Idolorum vanitate loquens: Adiurati, inquit, per Deum verum à nobis, statim cedunt, & fatentur; & de obsessis corporibus exire cogũtur. Videas illos nostra voce & operatione Majestatis occultæ flagris cædi, & igne torreri, incremento pœnæ propugnantis extendi, eiulari, gemere, deprecari: vnde veniunt, & quando discedunt confiteri. ita Cyprianus.

3 Eiusdem virtutem quoque probant Hilarion, & Bernardus, Abbates Hilarion vim eius in Marsita ostendit; Bernardus in muliere Mediolanensi. Marsitas fortissimus iuuenis de territorio Hierosolymæ, tãtum valebat viribus, vt quindecim frumenti modios diu longéque portaret: & hanc haberet palmam fortitudinis suæ, si asinos vinceret. Hic afflictus pessimo Dæmones, nõ catenas, non compedes, non claustra ostiorum integra patiebatur. Multorum nasum & aures, morsibus amputauerat: horum pedes, illorũ gulam fregerat: tantúmque sui terrorem omnibus incusserat: vt oneratus catenis, & funibus in diuersa nitentiũ, quasi ferocissimus taurus ad monasterium Hilarionis Eremitæ pertraheretur. Quem postquam fratres videre, perterriti (erat enim miræ magnitudinis) indicauerunt Patri. Ille, sicut sedebat, iussit eum à se pertrahi, & dimitti: solutóque: *Inclina*, ait, *caput, & veni*. Tremere ille, & ceruicẽ flectere, nec aspicere contra ausus: omníque ferocitate deposita, pedes cæpit sedẽtis lambere. Adiuratus itaq; Dæmon & tortus, qui iuuenẽ possederat, septima die

egressus

egreſſus eſt. Hæc Hieronymus in vita Hilar.

Bernardus verò Mediolani, mulieri cuidam, quam Spiritus Nequam diuexabat, hoſtiam patinæ impoſitam, ſuperimpoſuit, his verbis: *Adeſt*, inquit, Spiritus, iudex tuus; adeſt ſumma poteſtas. Iam reſiſte, ſi potes. Adeſt ille, qui pro ſalute noſtra paſſurus, inquit, Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras. In eius igitur poteſtate præcipio tibi, vt ab hac eius ancilla egrediaris. Quid verò? Locum dare Spiritus compulſus eſt. Hæc in Vita Bern. libr. 2. cap. 4.

Puto quoque ex alia re, eius præſtantiam colligi (niſi fortè hæc teſtimonium eſt ſanctitatis viri) De Eugenio Abbate legitur: quòd rogatus, vt puellam ab immundo Spiritu liberaret: primùm quidem multam ad Deum orationem fuderit: deinde breuem Exorciſmum ſcripſerit, obſignarit, & collo puellæ alligari mandarit: Dæmonium verò diſceſſerit, antequàm ad puellam Exorciſmus eſſet perlatus. Vide Surium, Tom. 1. in Ianuario. Simile quid de S. Barnardo, in eius Vita, ca. 4. li. 2. habetur. Expulerat ille ſecundò ab Obſeſſa quadã Spiritum Nequam. Quia verò verebatur, ne, ſe diſcedente, rurſus miſeram ingrederetur, hunc ipſius collo affixit Exorciſmum: *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, præcipio tibi Dæmon, ne hanc mulierem ingrediaris.* 5

Porrò non vna ſemper eadémq; huius Rationis Dæmonia eiiciẽdi, fuit forma. Olim ferè paucioribus rebus videtur conſtitiſſe: nunc quandoq; plura adhibẽtur: quòd nõ tam facilè modò, quàm olim, à Dæmoniis corpora videantur liberari. 6

Hinc eſſe crediderim, quod *aliis atque aliis modis* Dæmones per alios atque alios eiectos eſſe

legamus. S. Laurentius Iustinianus dicitur Spiritum priùs increpasse, & mox exitum imperasse, & impetrasse? Docet hoc Bernardus Iustinianus, Orator Venetorum, cap. 8. in Vita Laurentij. Eodem prorsus modo infantem liberauit Bertulphus, Abbas Bobiēsis, teste Iona; qui eius res gestas describit, apud Surium.

Parthenius teste Metaphraste 7. Februarij, solum egressum cuidam imperauit; & sic pristinam incolumitatem Obsesso restituit. Idem S. Remigius legitur præstitisse ei Dæmoniaco; quem ad ipsum misit S. Benedictus: vt docet Hincmarus in Vita Remigij.

Anatolia, sanctissima virgo, primo afflat Dæmoniacum; mox ad Dæmonem conuersa. *Exi*, inquit, *ab homine*, & de sanitate sibi gratulatur miser. Ita in eius Vita, apud Surium, Tom. 4.

S. Columbanus, cùm Parisiorum vrbem ingrederetur, Clotarium Regem inuisurus, obuiam habuit Obsessum, multis se conuitiis proscindētem: imperat Spiritui egressum vir Dei: sed tum tandē est egressus, vbi post iniectos in os eius digitos, eiusdem aliquandiu attrectauit linguam S. Bernardus quali forma vsus fuerit, superius Thesi 4. indicatum est.

Gregorius Lingonensis cum imperio signum Crucis coniunxit, teste Gregorio Turonensi, in eius vita, cap. 6. Eugenius Abbas, vt dictū, Exorcismum breuem scripsit: eundémque Obsessi collo præcepit alligari, sicque Sathanam fugat. Surius Tom. 1.

Hinc etiam esse dixero, vt Hæretici, qui vniuersa propemodum Catholicorum pietatis exer-

citis

citis ad examen reuocāt,nunc quoque plura habeant,quæ carpent ac damnent in noſtro , quàm in illo prioribus temporib.recepto Exorciſmo. 9

Veruntamen iniqua ipſorum eſt cenſura.Iudicium temerariũ,& falſum. Quod dicimus,tũ demum erit manifeſtum , poſtquam , *quæcunque in Exorciſmo cōcurrunt,iuſtiſsima eſſe,& omni ſuperſtitione vacare demonſtrauerimus*. Age igitur hoc præſtemus.

Varia autem ſunt,quę in Exorciſmo reperiuntur. Veruntamen ad *duo* præcipuè genera reuocari poſſunt,*res & verba* partim ad Deum diriguntur:partim ad Sanctos,Dei amicos;partim ad obſidentes Dæmones. Ad Deum dirigũtur per Orationem,& Sacrificium Miſſæ. Ad Sanctos per Litaniam:ad Dæmones,per Adiurationem. In Oratione attēdi poteſt,vel quid petatur, vel quo modo, ſiue per quid petatur. In Litaniis præcipuè Sanctorum inuocatio. In Adiuratione modus dicendi,ipſa adiuratio, & quid potiſſimum Dæmonibus imponatur. 10

Petitur à Deo peccatorum venia. Petitur , vt miniſtris ſuis,in tam arduo & difficili negotio velit adeſſe : velit etiam miſereri obſeſſi hominis,& eundem à Dæmonũ poteſtate eripere. Petuntur hæc per Chriſti,& Sanctorum merita. Inuocātur Sancti,vt pro nobis,& Energumeno velint orare. Dæmones durioribus verbis increpantur : imperatur iiſdem quādoque vt ſe prodant : nomen dicant:prodāt ſocios;explicent cauſas,cur homines ingreſſi:ex hominibus diſcedant,infernum petāt. diſceſſum ſuum aliquando ſigno declarent. 11

Res ſimiliter in Exorciſmo variæ ſunt , atque 12

multipli

multiplices. Quædam sacræ sunt; quædam signa sacrarum. Sacræ sunt Sanctissimum Christi corpus, quod sub visibilibus speciebus offertur: Sanctorum Reliquiæ, quæ aliquando adhibentur: Aqua benedicta; qua Obsessi asperguntur. Signa rerum sacrarum sunt Crux maximè, quæ nunc fronti, nunc pectori, nunc aliis Obsessorum membris imprimitur. His addo Locum, vbi Exorcismus peragitur; qui plerumque templum est: Vestes item sacras, quibus Exorcista induitur: Stolam, quæ aliquando Obsessis imponitur: Impositionem manuum Sacerdotum; Cereos ardentes: quæ interdum adhibentur flagella: atque digitorum Exorcistæ in os Obsessi immissio.

13 Hæc ferè sunt, quæ in Exorcismo reperiuntur. Sed tamen quemadmodum nec omnia nec necessaria sunt: ita nec semper adhibetur, nunc plura adhibentur: nunc pauciora. Verùm enimuerò siue adhibeantur, siue omittantur; *superstitione vacant omnia*; quod vt sua Exorcismo authoritas cõstet, sequentibus, sed breuissimè, docemus.

14 *Oratio*, quę adhibetur, *damnari non debet* In hac maximum aduersus Spiritus immundos præsidiũ esse putauerunt, quicunque aliquando ipsos eiecerunt. Hac Fortunatum Tudertinæ Ecclesiæ Episcopum à Dæmoniis homines liberasse scribit B. Gregorius li. 1. Dial. cap. 10. Sic D. Bernardum per totius noctis Orationem Dæmonium Cremonæ expulisse, quod se ab ipso Papię eiectũ, esse nequiter simulauerat; autor est Bern. Bonæuallensis in eiusdem Vita. li. 2. ca. 4. Oratione ducentos propemodum tam viros, quam mulieres liberasse B. Hilarionem, in Cypro insula, vbi se latiturum

tituRũ ſperabat, docet B. Hyeronymus in eius vita.

Adductus aliquãdo eſt ad S. Macariũ Puer: quem mirum in modũ Dæmon vexabat. eundẽ Oratione curauit vir Sanctus: poſtquam vnam manuum ſuarum capiti pueri impoſuiſſet, & alterã eiuſdem pectori admouiſſet: ita Palladius in eius Vita.

Et Genouefa, ſancta virgo, quos Turoni Energumenos curauit: Oratione ad Deum facta curauit: quemadmodum cognoſcitur ex Vita, apud Surium, Tom. 1.

Eadem Oratione vſi ſunt Parthenius: de quo Metaphraſtes 7. Februarij: Eugendus Abbas: de quo Surius, Tom. 1. Arnulphus Epiſcopus Metenſis: de quo Surius Tom. 4 Herebertus, Archiepiſcopus Colonienſis: de quo Rupertus Tuitienſis in eius Vita. Patroclus item eremi cultor: de quo Gregorius Turonenſis, c. 9. in eius Vita. Laurentius Archiepiſcopus Dublinẽſis: de quo Surius To. 6. Marcianus: de quo Theodoretus Sectio. 3.

Et horum aliqui ſibi comprecatores aſciuerunt: vt Arnolphus, atque Bernardus aliquãdo: alij priuata contenti: ſed tamen nunc feruenti admodũ: nunc admodum diuturna vſi. Nam Laurentius Dublinenſis humi proſtratus Deum oraſſe legitur: Patroclus verò triduanã adhibuit orationem pluribus haud opus. Ipſe Dominus docet quoddam Dæmoniorum eſſe genus; quod non, niſi *Oratione* pellitur.

Si verò tantum valet Oratio: quidni hic plurimum poſſit *Sacrificium Miſſæ*? Poſſent multa pro 15
hac in medium proferri: ſed nos, quæ ad præſentem rem faciunt, proferimus. Refert Proſper Aquitanicus, libr. de Prædict, cap. 6. ſuo tem-

pore

pore Sacrificium Missæ fructuosè pro salute Dęmoniacæ oblatum : & rursus, illa à Dæmonio liberata, oblatum pro gratiarum actione.

Meminit Sanctissimus Augustinus Sacrificij Missæ oblati pro domus purgatione, quæ a Dæmonibus plurimū infestabatur; & Sacrificio peracto docet liberatam esse.

Et in Missa haud parum præsidij positum esse credidit S.Bernardus. Illum enim ipsum, cuius Thesi 4. huius Capitis, meminimus, Exorcismum in Sacrosancto Missæ Officio adhibuit: id valere credens ad tam insolētem atque crudelem, cum tum bellum erat, Spiritum profligandum. Siquidem plurimis annis mulierem Spiritus hic obsederat: Visu, auditu, facultatéque loquēdi priuarat; faciem Obsessæ ita immutârat, vt non hominem, sed monstrum referret: quandóque etiam linguam ad modū proboscidis elephantinæ protrudebat. Adductus etiam ad S. virum pede eundem trudebat. Quocirca S. Vir & preces præsentis populi pro Obsessa postulabat: & Missę Sacrificium in subsidium accipiebat. Quoties verò Sacrificio insistens, hostiam signabat, ad mulierem conuersus, & ipsam eadem hostia signabat: Dæmone magis atque magis semper in eadem Obsessa ferociente donec tandem adhibito supradicto Exorcismo, post orationem Dominicam, in Sacrificio, recitatam, eundem profligauit.

Huc omnino facit: quod B. Chrysostomus, Ho-
16 mil.4. contra Armenos docet, olim in more, atque consuetudine fuisse, vt tempore diuinorum Officiorum ad ipsum Sacrificium adducerentur Dæmoniaci. Verba eius hæc sunt: Causam dabo, cur ho

cur homines Dæmone agitatos, & furore accitos teterrimo, adduci tempore illo, & capita inclinare iubet Diaconus Qua de cauſa enim agitur? Dicam, quod ſentio. Vincula, perquàm parua & grauia agitatio Dæmonum eſt: Vincula ferro validiora. Vt itaque tempore inſtante, quo Iudex prodire, & pro tribunali ſedere eſt ſolitus, cuſtodes carceris, quos in vinculis habent, omnes carcere educunt, & pro cancello ſeptíſq; fori collocant ſquallentes, ſordentes, coma opletos, pannis miſerrimè obductos: ſic Patres ſtatuerant, vt cum breui Chriſtum, veluti pro tribunali ſedere, ipſiſq; Sacramentis apparere futurum eſſet; homines Dæmone agitati, illi tamquã vinculis quibuſdã retenti adducerentur; non vt rerum, quas commiſiſſent, examen ſubirent; modo eorum, qui in vinculis ſunt: nec vt luerent pœnas; & ſupplicio afficerentur; ſed vt populo vniuerſáq; ciuitate præſente communes pro his fierent ſupplicationes, vt omnes iugi concordia Dominum communem orarent pro his: & quod miſereretur, magno clamore contenderent. Ita Chryſoſt.

Adde, quòd in Miſſa, atque Oratione, quæ ad Dæmonum eiectionem adhibentur, nihil petatur; quod vel nos petere ſit indignum: vel Deum dare non cõueniat. Id petimus, quod vt petamus, à Domino ſumus inſtituti: ſcilicet, vt noſtra nobis remittantur delicta: vt à malo tum corporis, tum animi liberemur. Quid hîc ſuperſtitioſum? 17

Nec damnari poteſt *Modus*, quo illa à Deo petimus: videlicet, quòd per Chriſti atque Sãctorum merita petamus. Quid non poſſunt Chriſti merita? Quid poteſt Pater negare per Filij vulnera, at- 18

que sanguinem deprecantibus? Filius hîc pro nobis est: *Si quid*, inquit, *petieritis Patrem in nomine meo; dabit vobis.*

Fortè damnantur Sanctorum merita. Sed malè. Quot & quanta beneficia Iudæorum populo propter Abraham, Isaac, Iacob merita, Deus contulit? Placent Deo Patriarcharum merita; non placebunt Apostolorum Petri & Pauli? atque aliorum Sanctorum, qui, vt Apostolus loquitur, *ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt: circuerunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus?* Seruit quoque nobis hîc exemplum Pōtij Abbatis Belleuallēsis: qui cū frustra vidisset multa adhiberi à suis ad Obsessum quendam à Dæmonis tyrannide liberandum: Stolam, qua S. Bernardus in oblatione Sacrosanctæ hostię vti solebat, Obsesso admouit: & in virtute Christi, per sancti viri *Meritum*, cuius stolam tenebat, exitum feliciter præcepit Vide VVilhelmum Abbatem S. Theodorici, in Vita Bernardi lib. 4. cap. 11.

19 Non est, quod quisquam hac ratione Christi Merita *obscurari* cauilletur; Illustrant Sanctorum Merita, Merita Christi. Christi gloriam; Illa amplificant, quando hinc intelligimus tantum illa potuisse; vt passionis fructus seruorum quoque Meritis magnam virtutem contulerit.

20 *Litaniæ frustra in Exorcismo nō adhibentur.* Multa illæ emolumenta sæpe Christianitati attulerunt, vt alias dictum est. Sed & Litaniis fœlicissimi Dæmonum ex humanis corporibus Exorcismi perfecti sunt, vt docent Isengringius, Geruasius Tornacen

nacensis, atque Iacobus Rabus. Accedit quod Gregorij Magni hortatu formidabile quoddam Dæmonis, quasi cornuti: spectrũ, quod certo cuidam loco ita infectum erat, vt in eo commorari nullus posset, Litaniis abactum tandem, & expulsum sit, quemadmodum & aliud, vt superius docuimus, in agro atque ciuitate Moguntinensi. Vide pro vtroque cap. 1. de Locis infestis. Præterea, si Sanctorum Cineres ferre nequeunt Spiritus; ferent Nomina, quæ in Litaniis recitantur? Ad solum S. Antonij *Nomen* fugisse Dæmones, testis locupletissimus est, in eius Vita. D. Athanasius.

Ipsa *Adiuratio* (peregimus ad Orationem, quæ ad Spiritus habetur) *mala* nõ est. Patrum sanctissimorum, & qui primi quasi Duces Christiani gregis fuerunt, exempla illam cõfirmant. Adiurati, inquit Iustinus, Dæmones nobis parent, & Cyprianus: adiurati à nobis Dæmones, torquentur & eiiciuntur. Vide cap. 41. Discutiamus Adiurationis modum. 21

Modus hic postulat, vt durus sit sermo; vehemẽs, & non amicus, Christi in hoc, atque Apostolorum exẽplum sequimur, qui Dæmonia increpasse leguntur. De Christo dicitur, Matth. 17. *Et increpauit illum* (Dæmonem) *Iesus.* & Marci 9. *Cõminatus est Spiritui immundo, dicẽs: Surde & immũde Spiritus: ego præcipio tibi, vt exeas ab eo.* De Apostolis, Paulo præsertim. Actuum. 16. legitur, *quòd conuersus dixerit Spiritui: Præcipio tibi in nomine IesuChristi exire ab eo,* Sic de S. Laurentio Iustiniano, Venetorum Patriarcha, refertur; quòd spumantem ore, & dentibus frendentem durius increpauerit: & quasi probrum obiecerit, quòd infirmam mulierculam 22

fuerit ingressus. Ita Bernardus Iustinianus Venetorum Orator, in Vita Laurentij. Et cum hostibus, & coniuratissimis hostibus quis potest esse amicus sermo? Fortè etiam vt flagella corpori; ita durus sermo Spiritibus molestus est.

23 An superstitionem sapiunt, quæ Dæmonibus in Adiuratione imponuntur? Non sapiunt. Licet Dæmonibus, *vt se prodant*, præcipere. Theodorus Archimandrita (teste eius discipulo. Georgio presbytero. in eius Vita) præcepit illi, qui 28. annis puellam quandam miris & occultis modis torserat, vt se proderet. Licet postulare, *vt nomen suum prodant*. Christi pro nobis stat exemplum. Licet vrgere, *vt socios indicent*; vt cum quibus hostibus bellum sit, Exorcistæ norint. Licet *interrogare causam ingressus in homines*; vt hac, si tolli potest, remota, minor sit Spirituum in homines potestas; faciliusque exigi possint. Licet *signum discessus postulare*; vt de parta nobis ab hostibus victoria constet. Licet *in infernum amandare*: quod ipsis hic locus, Christo teste, paratus sit.

24 In *Verbis* igitur nulla superstitio est. *In rebus* minus est periculi. Quid ita? Quoniam iam superiùs pleræque illarum, ab omni superstitione vindicatæ sunt; videlicet, Sanctorum Reliquiæ: Aqua benedicta: & Signum sanctæ Crucis. Reliquarum vis non rationibus solùm; verùm etiam grauissimis exemplis, quæ omnes propemodum ætatis suppeditant, confirmatur.

25 An displicet, quòd *sanctissimum Christi in Eucharistiæ Sacramento corpus adhibetur*? Sed pro nobis hîc est Sanctissimus vir Bernardus, qui idem mulieri Mediolanensi adhibuit, Dæmoniúmque

proffli

proffligauit hac, quam adiungimus oratione; Adest inique Spiritus, inquit, summa potestas. In eius tibi virtute præcipio; vt ab hac eius ancilla egredieris. In vita Bernard. 2. cap. 3. apud Bonæuallens. Idem Viro obsesso ciborium, in quo Sanctissima Eucharistia continebatur, imponit atque ita Dæmonium fugauit teste VVihellmo Abbate libr.1.cap.10. eiusdem Vitæ.

Refert etiam Prosper Aquitanicus lib.6.de Sacerd. Virginem quandam, in quam ob impudicum aspectum simulachri Veneris, Dæmon erat ingressus, communicatione Corporis Christi liberatam esse. Historiam nos ad longum superius retulimus. Eadem ratione anno Domini 1566. liberata est Nicolaa quædam, in oppido Picardiæ Veruino. Bredenbach.lib.9. Coll.cap. 22.

Sed & virtutem & Sacramenti Eucharistiæ ad immundos Spiritus profligandos magnam esse sequenti exemplo ostendit Ioannes Franciscus, Mirandulæ Comes, libro, de Strigibus: Fuit, inquit, in Alpibus Rhetiis sacerdos quidam probus ante annos duodecim, cui cũ foret opus ad ægrotum quendam Eucharistiam deferre: cùm longius ille abesset, videretque non ita, vt oportebat, celeriter ad eum pedibus posse peruenire, ascendit equum, colloque sanctissimum Christi corpus, pixide inclusum, satis honorificè alligauit, iter suum quanto ocyus accelerans. Cùm nonnihil processisset, obuium habuit quendam, qui, vt equo descendens pergeret ad spectaculum quoddam mirabilissimum, inuitauit. Imprudens homo & cupiditate rei tam stupendæ doctus paruit. Vix equo se dimiserat, cùm sensit se per aera vnà cùm

comite deferri, & breui tempore in altissimo montis cacumine statui. Ibi amplissima & amœnissima planities erat, arboribus vndique excelsissimis obsepta, rupibusque horrendis circuncincta. In medio choros innumeros, ac varios ludos cuiusque generis, mensas lautas & diuersis instructas erat videre. Audiebãtur etiam concentus quilibet, omni suauitate affluentes: denique aderant quæcunque animos hominum iucundissimis delinimentis teneri possent. Obstupefactus improuisa re Sacerdos attonitus hęrebat: Tum socius, qui adduxerat, petiit ab eo, Vellétne Reginam, quæ ibi aderat, supplex venerari, & munus illi aliquod offerre. In alto quodam solio Regina assidebat, effigie formosissima, regio cultu. Accedebant ad eã, prosternentes se humi cuncti, qui aderant, varia munera afferẽtes. Sacerdos reputans Reginam esse Christi matrem, & quid illi dono daret, existimauit nihil ei gratius atque iucundius futurum munus; quàm Filij corpus. Accessit; & ad pedes accidẽs in modum supplicis, arculã, in qua erat augustissimum Sacramentum è collo detractum, in gremio mulieris illius posuit. Mira res! Omnia continuò euanuêre. Perculsus nouitate Sacerdos, & præstigiis irretitum se videns & in horroribus densissimis, opem diuinam cœpit implorare; & cùm diu per vastas syluas errasset, vix tandem pastorem reperit, à quo viam edoctus, didicit se millia centũ à loco abesse, quò Eucharistiam deferre cupiebat. Ad suos tandem reuersus, totam rem detulit ad Magistratum. Contigit hoc imperante Maximiliano primo. Hactenus Comes Mirãdulæ, pro virtute Eucharistiæ, contra Dæmones.

Quòd

Quòd in *Templo* plerunque Exorcismi fiant, damnari non debet. Docemus hac ratione, cuius virtutem hîc imploremus: cuius potestate nitamur; Dei scilicet, cuius Templum domus est. Habentur præterea hîc ad manus præsentissima arma, quæ Dæmones haud parum debilitant. Adest hîc fidelis populus, cuius orationes vehementer Exorcistas iuuant. Denique Locus ipse ob multas causas haud parum Dæmonib. inuisus est; cuius vel hoc argumentum est, quod (vt refert. Sigebertus) præcedente nocte, antequam Ecclesia S. Petri Coloniæ, consecraretur, auditæ sint malignorum Spirituum voces, quæ, quòd sedibus suis pellerentur, multùm conquerebantur. Itaque & S. Bernardus, cùm difficilem admodum aliquando haberet Spiritum; Templum locum pugnæ delegit, sibique præsentes Christianos, qui orationibus iuuarent, rogauit, quemadmodum superiùs dictum est. 26

Cum Templo coniungo Sacrarium, quo vsus est B. Germanus, Antisiodorensis Episcopus. Cùm enim in Italia existens rogaretur, vt Dæmoniacos curaret, adductos ad se in Sacrario curabat omnes, teste Constantino Presbytero, in eius Vita. lib. 2. cap. 10. apud Surium Tom. 4. Pro vtriusque loci confirmatione sunt tres Obsessi, vno eodemque tempore ad Sanctum Theodorum Archimandritam adducti, qui Cellam Sancti viri qua concludebantur, graue sibi tormentum esse vociferabantur. Idem confirmauit vir Sanctus. Nam cùm in horum curatione occupatus à Sancto Cyriaco Patriarcha auocaretur; duos quidẽ à Dæmonio liberauit: sed tertio, cuius difficilior curatio erat, mandat; vt torturã eiusdem loci ad suum reditum

ſuſtineret,ita Presbyter Georgius in eius Vita.

27 *Induuntur quandoque Sacris Veſtibus Exorciſtæ.* Quod hîc peccatum? Non ſumus tam inepti; vt has ad Dæmonum eiectiones parum facere ignoremus: ſed tamen dicimus nō temerè vſurpari. Demonſtrant *hoc veſtitu* Exorciſtæ; non ſe ſua virtute, aut meritis niti: ſed poteſtate diuinitus ſibi communicata: Præſtare item officium Ordinis, quod Chriſti authoritate; non humanis nititur meritis. An fortè indignum, vt quis artis ſuæ atque officij inſignia ferat?

28 *Stola etiā Energumenis, & Dæmoniacis imponitur:* Sed exemplo Maiorū. Hac Dæmonium exegit ex mulieri Sacerdos quidam cuius D. Gregorius alicubi meminit, primo Dialogorum, teſte Ioanne Bodino, de Dæmonomagia, lib. 3. cap. 6. Et Pontius quidam, Abbas Monaſterij Bellæuallis, Dæmonium expulit illa, qua aliquando vſus eſt, ſtola S. Bernardus; in Vita Bernar. lib. 4. c. 7. Taceo Stolam inter ſigna referri, quæ Dæmones non ſuſtinent: quoniā, vt notat Alcuinus is, qui ea induitur àdmonetur, vt memor ſit ſe ſub Chriſti eſſe iugo: &, vt habet Bonauentura, in expoſitione Miſſæ, cancellata in pectore, admodum Crucis, primum ſignificat Chriſti paſſionem mente & corpore circumferendam; deinde etiam populū Iudæorum à dextra tranſire in ſiniſtram: contra gētes à ſiniſtra in dextram. Adde quòd & Chriſti ſignificet obedientiam. vt vult Ropurtus Tuitienſis, de diuinis Officijs, quam, licet Dominus omnium, pro noſtra exhibuit ſalute, dum formam ſerui aſſumpſiſſet. Vide apud eundem l. 1. cap. 21.

29 *Imponunt & manum Obſeſſis Exorciſtæ.* Nihil

nouum.

nouũ. Impoſuit olim S. Martinus famulo Tetradij, Treuiris teſte Sulpit, in Vita eius: atque vt Martinus non fruſtra (Nam & Dæmonem pepulit,& Tetradium ad Chriſti fidem impulit) ita nec fruſtra Sacerdotes. Similiter à ſæuiſſimo Spiritu liberatus eſt Puer,teſte Paladio, in Vita Macarli: poſtquam eiuſdem capiti vnam, & alteram pectori appoſuiſſet: orationémque ad Deum, à quo omne bonum eſt,direxiſſet.

Et manuum impoſitionem adhibuit Theodorus Archimandrita,in filiæ Principis cuiuſdam curatione,quam iam annis 28.grauiter Dæmon torſerat. Habet hoc ſæpius citatus, diſcipulus eius Gregorio Presbyter. Sic de Gregorio Agrigentino Epiſcopo teſtatur Metaphraſtes in Vita eius: quod cuſtodis carceris filium, qui ob ferocientem in ipſo Spiritum columnæ erat alligatus, reſtituerit priſtinæ incolumitati mox,vbi capiti Obſeſſi impoſuit *Manum*.Idem de Hoſpitio, magno continentiæ viro,refert Turonenſis, lib.ſexto Hiſtor.Franc.Quid quod Apoſtolorum hic ſequuntur exemplum:*qui ſuper ægros manu imponebant, & bene habebant?*

Lumen Cereorum non adhibetur, vt Spiritus videri poſſint:ſed vel eandem habet cum Rebus Sacris rationem, & efficaciam: vel adhibetur, vt ab homine diſcedens Satan,hoc extincto, diſceſſum ſuum teſtetur. 30

Flagella rarius aſſumuntur, aſſumuntur tamen: & duas,vt ſuſpicor,ob cauſas. Altera eſt,quòd Dæmones egregiè confundant, dum hæc tanquam contemptus ſui argumenta aſſumi intelligunt. Altera,quòd ad ipſorum etiam eiectionem valere vi- 31

dentur: dum quas ipſi in corporibus humanis conditiones poſtulant, his diſſoluantur: vt ob id minus apta habeant domicilia. Refert Gerardus à Nazareth, Cap. 20. de conuerſatione ſeruorum Dei Flagellis ab homine quodam Diabolum pulſum, qui poſt multa, etiam ſacra adhibita media diſcedere detrectauit.

Cum Flagellis *Alapas* coniungimus, quibus & B. Benedictus, & S. Hubertus Dæmoniacos liberarunt; quemadmodum de hoc Surius; 3. Nouẽb. in eius Vita teſtatur; de illo B. Gregorius 2. Dialog. cap. 30. & de tertio quodam Krantius, libro quinto Hiſtoriæ Vandalicæ, Capite vltimo, Quibus quartum addimus, Monachum, qui ob inobedientiam à Dæmone fuit occupatus: & per fratrũ preces adiutus; poſtquam eidem ſuus Abbas Poppo *Alapam* inflixit. Hiſtoriam recenſet Euerhelmus, Abbas Altimontenſis, cap. 18. Vitæ Popponis, apud Surium, Tom. 1. Et quintum illum, quẽ ob ſtupri conſuetudinem Dæmon ingreſſus eſt; cuius in vita Simeonis Abbatis mentionem facit Leontius, Neapoleos Cypri Epiſcopus, quem Abbas inflicta *Alapa* expulit, dicens: *Noli amplius mœchari: & Dæmon ad te minimè accedet.*

Coniungimus quoque cum flagellis vim, quam attulit cuidam Obſeſſæ Theodorus Archimandrita: Per comam ſi quidem legitur eandem apprehendiſſe, & Cruce tandem facta, Spiritum exijſſe. Seruit etiam huic argumento factum aliũd eiuſdem Theodori. Cùm puer adhuc eſſet, quidam ſanctitate vitæ eius permotus, filium ipſi ſiſtit Dæmoniacum, pro ſanitate multum orans: Quid faceret puer adhuc Theodorus? *Modum*, inquit,

Dæmones

Dæmones exigendi ignoro. Tum pater pueri, Flagellum illi porrigit: *Hoc*, inquit, *filium percute: & vis inimica Dæmonis diſcedet.* Paret Theodorus, ſed percutientem, primò & ſecundò ridet Spiritus: percutientem tertiò fugit, & diſcedit. Hæc Theodori diſcipulus Georgius Presbiter in eius Vita apud Metaphraſtem.

Digitos quoque aliquando Exorciſtæ in os Energu- 32
menorum immittunt. Sed exemplo Maiorum Sanctorum hominum. Quorum? Patrocli Abbatis, & eremi cultoris: teſte Gregorio Turonenſi, lib. de Vita Patrum, cap. 9. Columbani item teſte Iona, in Vita eius, & S. Clari Abbatis Viennenſis, apud Surium Tom. 1. in eius Vita.

Ex dictis clarum eſt, *nihil in Exorciſmo criminis eſſe: nihil eſſe ſuperſtitionis.* Sed fortè non diſplicent ſingula; diſplicet quòd omnia hæc coniungantur: & quòd, qui virtute Dei Verbi eiici poſſunt, ad hos profligandos tot machinas adhibeamus. Verùm, nec hoc diſplicere debet, aut damnari. Chriſtus nobis huius auctor videtur. Potuit ille verbo, ne dicam, nutu, dæmonia eiicere: ſed tamen ſigna; quæ Exorciſmi quandam ſpeciem referrent, adhibuit. Cùm enim Dæmoniacum quendam ſanaturus eſſet: primùm ipſum apprehendit de turba ſeorſum: tum miſit digitos in auriculam eius: poſt expuens tetigit eiuſdem linguam: denique ſuſpiciens in cælum ingemuit: & poſtquam Epheta dixiſſet, ſanitatem contulit.

CAP. XLVII.

Rationes & modos, quibus Dæmones eijciuntur, non semper esse efficaces: idq́ contingere varias ob causas.

1 QVanquam Exorcismi vires magnæ sint: quemadmodum & aliarum Rationum, quibus Dæmonia diximus eijci: *non semper tamen effectus speratos consequuntur.* Neque id quidquam Exorcismi virtuti aut illarum efficacitati detrahit, quoniam nec, quæ Apostolorum temporibus Dæmones eiiciendi rationes receptæ & probatæ erant, semper à Dæmonibus hominum corpora liberare potuerunt.

2 Efficax fuit illa ratio, qua filij Sceuæ Sacerdotis vti volebant: & multi salutarem effectum ex illa consecuti sunt: sed in Sceuæ filiis tãtum abest, quòd vires habuerit: vt etiam Dæmones in se conuerterint, & summam inde ignominiam retulerint, vnde nominis gloriam, & egregiam laudem venabantur.

3 Apostolis quoque super serpentes, scorpiones, & Dæmones potestas fuit collata. Potestas tamen hæc non vbique suas habuit vires. Adduxerat quidam ad ipsos filium suum, quem mirum in modum Spiritus torquebat, ab iis auxilium exspectans: sed spe sua frustratus est: à Dæmonio non potuit per Apostolos liberari filius.

4 Idem suis temporibus accidisse testatur Origenes Hom. 24. in Iosue: & ob id malignos Spiritus comparat Amorræis: quòd quemadmodum hi inter filios Israel permansissent: ita sæpe in Obsessis hominibus permaneant Spiritus. Adhibeantur,

tur, inquit, multæ orationes, multa ieiunia, multæ Exorcismorum inuocationes: ad hæc omnia surdus in obsesso corpore Dæmon permanet: tolerabilius ferens Exorcistarum pœnas, & adhibita sibi inuocatione tormēta; quàm discedere ab homine: quem impudenter & nequiter obsidet.

Sic de S. Benedicto legimus: apud Hincmarū, 5
in Vita S. Remigij: quòd suis; quos adhibuit Exorcismis, Dæmones non profligarit à Tolosana puella: hoc tamen extorserit: Remigij precibus & opera posse eijci. Ad quem etiam rogatus sanctus vir literas destinauit, sanitatem puellæ expetens. Vide aliud pro hac re exemplum apud Bedam, li. 3. Hist. Anglor, cap. 71.

Ratio huius rei, ni fallor, nunc in ipsos Exor- 6
cismos: nunc in eos, qui Dæmonia eijcere tētant: nunc in miseros, qui torquentur, & à Spiritibus possidentur: nunc in alias causas referri potest.

Exorcismorum non ea ratio est, quæ Sacramē- 7
torum. Consequuntur hæc suos effectus necessariò: propterea, quòd ex diuina institutione, certa & efficacia sint, signa gratiæ cælestis: at hanc promissionem Exorcismis non fecit Dominus, quo fit, vt non semper quantas Sacramenta vires habeant, Dæmonésque pellant.

Exorcistarum etiam conditio interdum obstat. 8
Id suo exemplo Apostoli testantur: qui, si se priùs *ieiunio atque oratione* armassent, haud dubium (docet id Christi oratio) expulissent Dæmonium quod sine istis præsidijs eijcere nequiuerunt.

Hinc est quod superiùs monuerimus, multas in 9
Exorcistis conditiones requiri, si suo officio feliciter fungi debeant. Quòd si has prætermittant, & ad

ad arduum hic opus imparati accedant: si in officio sint negligentes, quid mirum, si aut parum, aut nihil efficiant?

10 Accedit, quòd non omnibus hanc gratiã Deus velit esse communem, *Alij*, inquit, *datur gratia sanitatum, alij operatio virtutum: alij Prophetia: alij discreti Spirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio sermonum.* Quocirca fit, vt qui multis machinis & Exorcismis adhibiti per hos expugnari nõ possunt Dæmones; mox cedant, & sedes relinquant; quàm primùm ab alijs leuiter tentantur.

11 Peccata quoque eorum, qui Obsessi sunt, quandoque merentur: vt non mox à Dæmonibus liberentur. Cùm enim, vt dictum est, hanc vexationem sæpe peccata afferant, iustissimo Dei iudicio fit: vt quamuis efficaces Exorcismi, aliæque machinæ adhibeantur: nihil item in Exorcistis desideretúr; non tamen Dæmonia eijciantur, propterea quòd nondum satis in ijs, qui Obsessi sunt, sint vindicata peccata. Hæc quoque causa fuit: cur plurimùm rogati S. Eligius Nouiomensis Episcopus, & S. Parthenius, hic iuuenem quendam ex Hunnis oriundum: ille quinquaginta viros à Dæmonum vexatione liberare noluerint. Parthenius pro illo rogantibus dicebat: *Sinite torqueatur: parricida est*, Eligius pro his, *Sinite, experiantùr, cui seruire peccato suo elegerint.* Hoc de Eligio Audoenus, cap. 10. li. 2. Vitæ eius: de Parthenio Metaphrastes, 7. Feb.

12 Quandoque etiam non Obsessorum peccatis præteritis tribuitur, quòd discessum morẽtur Spiritus: sed quia ipsis *fides deest; spesq; libertatis consequendæ.* Orantes Deum, aut eius beneficia exspectantes, oportet magna cum fiducia accedere; quã

quia

quia Obſeſſorum quidam non habent: quid mirum, ſi adhibita ipſis remedia nihil efficiant? Hanc rationem Cyprianus, & Minutius Felix aſſignant: *Adiurati Dæmones*, inquiunt, *vel exibunt ſtatim, vel euaneſcent gradatim, prout fides patientis adiuuat*. Eãdem fidem ſiue fiduciam multum in Obſeſſis vrget Toſtatus, quæſtione 165. in 17. ca. Matth. Pro qua etiam adducit illud Domini Matth. 21. *Amen dico vobis, ſi habueritis fidem, & non hæſitaueritis: non ſolùm de ficulnea facietis: ſed & huic monti dixeritis: Tolle te, & iactate in mare: fiet, & omnia quæcũque petieritis in oratione credentes, fient.* & illud Iacob. 1. *Si quis indiget ſapientia: petat à Deo: qui dat omnibus affluenter, poſtulet autem in fide, nihil hæſitans.*

His adde, quod perſæpè etiam nec Obſeſſis difficultas ſit, nec in ijs qui Exorciſmos Obſeſſis adhibent: Dæmones tamen nõ cedant adiurati. Quẽadmodum multis de cauſis permittit Deus: vt homines à Dæmonibus, etiã ſine vlla ſua culpa, poſſideantur: ita iuſtas poteſt habere cauſas: cur Dæmonibus in homines poteſtatẽ relinquat, quãquã ſuarum miſeriarum nullam dent cauſam. 13

CAP. XLVIII.

An ſenſibilibus, prorſusq́ue naturalibus rebus Dæmones ex humanis corporibus eyci valeant.

QVia rationes, quibus Dæmones ex humanis corporibus, vel olim in Chriſti Eccleſia eiecti ſunt, vel adhuc hodie eijciuntur, examinauimus; non abs re fecerimus: ſi dictis vnum adiecerimus, & definiamus, Poſſitne fieri, vt *rebus quibuſdam* 1

buſdam ſenſibilibus atque naturalibus, & quibus nihil diuinum, aut ſupernaturale ineſt, ijdem Dæmones pellantur.

2 Et quidem, ſi Dæmonum conditionem inſpiciamus: attendamus etiam, quam vim res ſenſibiles, & naturales habeant: difficile non eſt ad propoſitam quæſtionem reſpōdere. Cùm enim prorſus ſpirituales creaturæ ſint Dæmones: Spiritualiū autem illa ſit conditio, vt longè poſt ſe, omnes res corporeas relinquant: non malè dixerimus fieri non poſſe, vt in ipſos, res ſenſibiles agant: vim ijs afferant: ſedibus ſuis pellant.

3 Nec argumenti huius vim eleuat, quòd animabus, dum in corporibus ſunt, à ſenſibilibus rebus vis afferri poſſit: poſſint etiam vi à corporibus ſeparari. Longè alia animarum, quàm Dæmonum in corpore conditio eſt. Illæ corporibus, vt formæ, coniunctæ ſunt: hi, vt quidam motores & rectores. Quapropter illæ certas, in corporibus, diſpoſitiones poſtulant: quas hi, quoniam corporū formæ non ſunt, non requirunt, quare & hi in corporibus eſſe poſſunt, quomodocunque etiā illa ſe habeāt: illę niſi aptata ſibi ſint, informare nōvalēt.

4 Cæterùm, quamuis res ita ſe habeat, vt corpora *per* ſe nihil poſſint in Spiritus, *tria* tamen ſunt, quæ in præſenti Diſputatione contrarium ſuadere videntur: quæ, quoniam ferè ex Sacris Scripturis deprompta ſunt, contemni nec debent, nec poſſunt.

Primùm ſuppeditat Hiſtoria Regum. Ibi Spi-
5 ritum malum Pſaltes Dauid à Saule Rege, cytharæ ſono legitur profligaſſe. *Quādocunque enim* (dicitur Regum 16.) *Spiritus Domini malus arripiebat Saul:*

Saul: Dauid tollebat Cytharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat. Recedebat enim ab eo Spiritus malus,

Alterum indicat Angelus Raphaël Tobiæ Iuniori: qui cùm de flumine piscem extraxisset, iussus est ab Angelo cor, fel, & iecur eius conseruare: didicitque ab eodem *cordis particulam si super carbones poneretur, fumo suo extricare omne genus Dæmoniorum: tam à viro, quàm muliere, & quidem ita, vt vltra non accedant ad eos.* 6

Tertiũ ex Salomonis Exorcismo sumitur. Quoniam, vt Iosephus testatur: qui hoc dæmonia profligabant (vt Eleazarus) naribus Dæmoniacorum annulum, qui sub signaculo radicem, Salomoni monstratam, habebat, inferebant, moxque per orantium nares Dæmonium extrahebant. 7

Hæc firmissima videntur, quæ pro hac causa afferri possunt, præsidia. Quid vero? Qui Dæmones, cum Platone, corporeos dicunt, facilius hic se expediunt, Qui nullam in ijs corporis, aut materiæ concretionem agnoscunt, difficultatem habent non paruam, Nos singula discutiamus. 8

Quod ad *primum* attinet, non putarem in dubium vocandum esse, Saulem verè à Dæmonio obsessum fuisse: quamuis enim multa præclara, eo etiam tempore, quo à Spiritu Nequam vexabatur, gesserit: non tamen hinc inferri debet à Dæmonio liberum fuisse. potest quis à Dæmonio possideri: & non semper eius Tyrannidem perpeti, vt cap. 8. Disput. præsentis ostensum est. Sed & Saulem verè Obsessum fuisse docent Theodoretus, q. 38, 39. 54. Gregorius, Abulensis, Lyranus in lib. Regum, & Vallesius cap. 30. de sacra Philosophia. 9

Dubium verò est: Vtrum à Dæmonio aliquando liberatus fuerit: &, si liberatus, vtrum Dauidis opera: &, Quali tandem Dauidis opera liberatus. Neque enim de hac re inter omnes constat. Sunt. qui liberatum, negant sunt; qui volunt liberatum: veruntamen non efficiente hoc cithara: sed innocentia, & probitate Dauidis merente.

Vt quod sentimus, dicamus. Nullo modo ob
11 probitatem Dauidis, eiusq; innocentiam à Dæmonio liberatum putamus. Saulem Neque enim quærebatur, à seruis Saul, vir aliquis sanctus: quem Diabolus non ferret: sed qui Citharam pulsando,
12 dolorem, quem Dæmon afferebat, mitigaret.

Nec Citharæ sono, aut melodia fugatum Dæmonium verisimile est. Iam aliàs demonstratum est, eas rerum corporalium, & sensibilium vires nō esse, vt quidquam in Spiritus possint. Aures quidem concentus & melodia demulcet; & voluptatem quandam animo affert, sed Nequam Spiritus ex hominum corporibus eijcere non valet.

13 Non existimamus à Dæmonio liberatum Saul, vllo vel obsequio, vel auxilio Dauidis. Hoc sacra Historia confirmare videtur, Quærebatur (vt illa testatur) vir, non qui Spiritum pelleret: sed qui Citharam pulsando efficeret, vt leuius Dæmonis molestias Rex ferret. Sic inuentus refertur Dauid: quo Citharam pulsante refocillabatur Saul: & Dæ-
14 monis molestias minus sentiebat.

Citharæ igitur harmonia voluptatem quandam Regi afferebat Dauid: quæ, quemadmodum omnis voluptas, quæ aliunde accedit, præsens, quod quis patitur, malum mitigat: ita dolorem, quem ex Dæmonis tyrannide patiebatur Saul, haud parùm frangebat. Atque hoc sensu etiam Dæmon

pulsus esse intelligi potest.

Potest quoque dici, quòd corporis humores, pulsata cythara, sunt purgati, & à melancholiæ affectione liberati. & quia dispositione ea mali Spiritus gaudent, fit, vt sublata ipsa, *per accidens*, vel abigentur, vel, ne ita molesti sint, impediantur. Magnam enim Musicæ vim esse ad homines, humoresque commouendos nemo dubitat. Exemplo Regis Daniæ Erici, ostendit hoc Krantzius, lib. 5. Daniæ cap. 3. quod ad verbum hîc subiungimus. *Cùm Ericus* inquit *interea iam reuersus in Regnum, solemni curia vteretur, multorúmq; militum simul & artificum industria delectaretur: aderat inter alios Musicus qui artis eam peritiam tenere se diceret: vt homines in quoscunque vellet affectus vocaret: ex mœstis lætos: ex alacribus tristes: ex indignantibus placatos: ex placidis indignantes, & vsque ad furorem insanientes se facere iactaret: Atque is, quò faciebat ista maiora, quæ se posse diceret: Regem experiundi fecit cupidissimum. Iamque pœnitebat artificem suæ iactantiæ: vellétque non tam de se magna prædicasse: quippe in Rege ista expendere, non sine periculo esset. Insuper, si minus quæ dixit, facto probasset, mendacem se futilémq; haberi, non sine discrimine formidabat. Orabat, quos potuit, Regem ab eo desiderio auerterent. Sed nihil egit. Vbi vidit, non se euasurum: quò minus impleret, quæ iactasset: orat exportari omnia arma, & quib. læsio possit inferri. Deinde vt extra sonum citharæ consistant nonnulli, qui possint adesse vocati, curauit: ereptámq; manibus citharam capiti iubentur illidere canentis. Omnibus iam ritè instructis, Regem cum paucis in aula reclusum aggreditur. Primum graui sono mœrorē quendam audientibus ingerebat, inde succinēdo plausibilius, lætitiā vertit, vt paululū*

abesset, quo minus iocabundi dissultarent. Tum modis acrioribus intentatus, indignationem quandàm concitabat: quæ vbi inualuit, furere Regem: astantésque cernere erat. Mox signum dedit de litescentib. vt introirent, Regémq; iam sæuientē continerēt. Illæsa primū ex condicto cithara. Regem deinde aggrediuntur. Sed tantum fuit robur viri: vt pugno quosdam examinaret Inde multis obrutus puluinarib. ardor ille conquieuit. Sed cum iam se in se recepisset, vehementer indoluit, sæuisse in eos, quos habuit ante fidissimos. Hæc Krantzius.

16 Si quis tamen omnino à Dæmonio, Dauidis Cithara, velit liberatum Saul: non multum reluctabimur: veruntamen non id sono, quem pulsata Cithara excitabat, tribuemus: sed Christi in Cruce exponsi (cuius signum quoddam Cithara fuit) virtuti, & passioni: vt dici possit, ita Dauidis citharam Dæmonium profligasse: quemadmodum idem persępe eiecit signum Crucis, Vide Matth. Filesium in 2. Sent. distinct: 8.

17 Sic nec eorum sententiam damnamus, qui etiam Citharæ sono electionem tribuunt, nulla eius habita ratione ad Christi passionem. Hi naturalem Dæmonum potestatem volunt diuinitus restringi; rebusq; naturalibus subijci: quemadmodum igni infernali eosdem subiectos esse, & torqueri docent Theologi.

18 Cæterùm qui Dauidis Cithara à Saul Spiritum malum fugatum dicunt, ita fugatum volunt; vt ad tempus, & nullas à Spiritu perpessus fuerit molestias: & verè etiam ab ipso Spiritu fuerit liberatus ad tempus, inquam: quoniam cùm rursus odio atq; inuidia in triumphantem Dauidem excandesceret, à Dæmone rursus est correptus. quemadmodum

ex cap. 18.eiuſdem primi lib.Regum, licet colligere. Sic enim ibidem dicitur: *Poſt autem diem alterum inuaſit Spiritus Dei malus Saul* ille ſcilicet, qui in fine cap.16.dicitur *receſſiſſe.*

Secundum argumentum maiorem difficultatem habet:propterea, quòd ipſius Angeli teſtimonio, quem mendacij arguere non poſſumus, Fumus vi ignis, ex cordis & iecoris particula, excitatus dæmonia extricare dicatur. 19

Sunt, qui vim huius argumenti paruam arbitrãtur: quòd in Canone Sacrarum Scripturarum Tobię Liber,vnde Argumentum deſumptum eſt,non reperiatur.Sunt alij,qui admittunt Angelum, alicuius ſuperſtitionis Tobiæ fuiſſe authorem, dum ſuo quaſi exemplo docuit ſuperſtitionis Tobiæ fuiſſe authorem,dum ſuo quaſi exemplo docuit fumo fugari poſſe Dæmones:ſed tamen à culpa abſoluunt,quòd hoc, ne proderetur præſtiterit. Sunt tertij,qui Dæmonis expulſionem Fumo tanquam ſigno,tribuunt,quemadmodum de DauidisCithara, & Ligno Cruce diximus. 20

Quidquid de hoc tertiò ſit (quod non damnamus)certum eſt,Librum Tobiæ à Canone ſacrarũ Scripturarum reijci non debere. Quanta reliquorum,tanta libri Tobię eſt authoritas.Certum quoque eſt ſuperſtitioſum non fuiſſe Raphaelem: nec ſuperſtitionis authorem fuiſſe Tobiæ.Nec peccant Angeli,nec alios ad peccandum inducunt. 21

Et quamuis hunc Fumum rei ſacræ ſignum eſſe, negaremus:nihil tamen eſt,quod nos cogere poſſit vt ſenſibilib. ſignis Dæmones expelli dicamus 1. Dicere poſſumus: Non docere Angelum vi fumi Diabolos expelli: ſed tantum aſſerere, ipſos fu- 22

gandos, quando Fumus excitatus fuerit. Quocirca quemadmodum necesse non est, lotionem meam causam Eclypsis Lunæ esse, quòd, dum ego lauo: hæc accidit: ita necesse non id dicere, Fumum causam esse, quæ Diabolos pellat: quamuis dum Fumus fit, Diaboli pellantur. Docet Angelus quid fiat, non causam reddit, cur hoc fiat.

23 Hoc fortè Tobiæ, cap. 8. indicari videtur. Neq; enim dicitur Fumus Dæmonem profligasse: sed Raphaelem Angelum. *Protulit,* dicitur ibi, *Tobias de cassidili suo, partem iecoris, posuitque eam super carbones viuos. Tunc* (subiungitur) *Raphael Angelus apprehendit Dæmonium, & relegauit illud in deserto superioris AEgypti.*

24 Quid igitur est, quod Dæmonium profligauit? Fumus? Non Raphael Angelus profligauit. Quomodo verò? An ob excitatum Fumum? nec hoc etiam. Veruntamen, quando exitatus est Fumus profligatus est Dæmon. Si quid hic præter operas Angeli fuit, quòd Dæmonium profligauit, fuerunt merita atque orationes Tobiæ, & Saræ.

25 Quanquam & de fumo dicere possemus, quod de sono Cytharæ Dauidis insinuauimus: diuinitus scilicet fieri: vt naturalis Dæmonum virtus, etiam rebus corporeis subijciatur & constringatur. Quēadmodum enim res corporeæ consecratione, quæ illis adhibetur, vt Spiritus crucient, potestatem accipiunt. ita eosdem potest Deus velle ijsdem subiectos esse & constringi, quamuis nulla consecratio ad ipsos accesserit.

26 *Eleazarum,* qui *radicibus* in Exorcismo vsus dicitur, quidam inter Magos numerant: voluntque


cum

cum Dæmonibus pactum habuiſſe. Hinc negant Salomonis Exorciſmo vſum: negant Dei virtute Dæmonia eieciſſe.

27 Alij admittunt Salomonis, quem profitebatur eſſe vſum Exorciſmo: & verè non Dæmonum: ſed Dei opera Dæmonia eiecta: veruntamen nullam hi tribuunt virtutem Radici: propterea, quòd non ex inſtitutione Salomonis Radix in exorciſmo adhibita ſit, ſed propria & priuata Eleazari voluntate: & ob id aliqua ſuperſtitione non caruerit. 28

Prius illud non facilè dixerim: cùm haud pauca ſint, quæ contrarium ſuadere videantur. Alterum crediderim fieri poſſe. Neque enim nouum eſt, vt res quæ diuinam inſtitutionem habent, hominum malitia deprauentur: & tamen eundem, quem Deus illas habere voluit, conſequantur effectum. 29

Interim non intelligo, quidnam mali ſit dicere Radicem, in Salomonis Exorciſmo adhiberi ſolitam: illamque efficacem fuiſſe; & præterea omni ſuperſtitione caruiſſe, ſi diuinitus inſtitutus eſt Exorciſmus Salomonis. An non potuit velle Deus vt Radix adhibita ad homines à Dæmonibus liberandos valeret? Sed de his plura in Diſputatione de Locis infeſtis.



QVARTA PARS

DISPVTATIONIS DE DÆMONIACIS,

IN QVA

De Dæmonum ex hominum corporib. egreſſu, egrediendi difficultate, & crudelitatis ſignis, quæ in egreſſu, relinquunt: via item qua egrediuntur, & loco, quo egreſſi tendunt: hisque ſimilibus agitur.

CAPVT XLIX.

Dæmones admodum difficulter relinquere homines, quos ſemel obſident.



Varta Diſputationis pars egreſſum immundorum Spirituũ ſcrutabitur. Et in hac quemadmodum aliis, plura diſcutienda ſunt: ſed potiſſimum hęc. Oſtendendũ ſumma cum difficultate homines, quos obſident, Dæmones relinquere. Inquirendæ cauſæ huius: & Cur quidam difficiliùs eijciantur, quam alij: quíue illi ſint. Explicandum præterea, quibus potiſſimum ſignis egreſſum ſuum prodant. Quæ item ſignorum cauſæ & rationes, tam in genere, quàm ſpecie. Qua via egrediantur, dum abſcedunt, & homines relinquunt. An etiam omnes ſimul egrediantur, dum verbi

gratia

gratia, vnum aliquem hominem plures ipsorum obsident. Ad hęc, Quò tendant, eiecti ex hominibus. Cur ægrè admodum & difficulter ad infernũ descendant. Postremò, an voto & desiderio ipsorum, qui egressuri quippiam petunt, liceat satisfacere. Præcipua ferè hæc sunt Capita, cum Spirituũ egressu cõiuncta: & quæ difficultatẽ aliquam possunt habere. Si quæ sunt alia, vel difficultatem singularem non habent: vel ex prioribus huius Disputationis partib. innotescunt. Sed ad Primũ.

Dæmones igitur, siue *Spiritus immũdos difficulter homines, quos obsident, deserere*, nemo rectè potest dubitare. Multa pro hac re sunt argumẽta. Et primò quidem hîc seruit *quotidiana experientia*. Quotus enim quisque Dæmonum ex humanis corporibus eiicitur: qui non suo Exorcistæ plurimos parit labores atque molestias? quotusquisque Exorcistarũ hoc opus aggreditur, qui non arduam se credit adire prouinciã? & in qua administrãda non plurimis præsidiis existimat sibi opus esse. 2

Confirmant experientiã hanc *Dæmonum à Christo expulsorum exempla*, qui quod ægerrimè sedes suas reliquerint, partim his verbis testati sũt. *Quid nobis & tibi Iesu? venisti ante tempus torquere nos. Scimus quis sis*: partim grauissima tortura, qua egressuri miseros mortales affecerunt. patent hæc Matth. 17. Marci 9. Luc. 9. 3

Confirmant *Apostoli*, qui quamuis consuetis & à Christo Domino traditis machinis, in Dæmonũ quorundam eiectione vterentur, nihil tamen proficere potuerunt: Dęmonibus suas sedes in hominibus retinentibus: nec quidquã de priori tortura remittentib. & hoc patet Marci 9. Luc. 9. Mat. 17. 4

5 Intellexerunt idem *quicũque apud Iudæos, Christi Apostolorumq; Exorcismis affuerunt*; qui quòd vel Dominus verbo, vel illi, Christi nomine inuocato Dęmonia eiicerent, in stuporem fuerũt conuersi. mirantes, scilicet, quod tam arduum & difficile opus tam leui opera, vt videbatur, conficeretur.

6 Sed & *quicunque immundos Spiritus sequentibus temporibus eiecerũt*, summam semper experti sunt difficultatem. Hinc tot tamque egregiis præsidiis muniti, & armis instructi esse voluerunt, antequã hoc opus aggrederentur: & suis viribus aliquando diffisi aliorum orationibus adiuuari: quemadmodum pluribus exemplis in tota hac Disputatione clarum est.

7 Et *Dæmones quoque* idem multis modis declararent. Quibus verò? *Primò*, quòd quandoque se negarũt expelli posse ab hominibus: vt inter alios, ille, qui se neque Sirulum, neque Bernardulum curare aiebat, de quo nos aliquoties in hac Disputatione. *Secundò*, quòd persæpe expelli non potuerunt; quamuis etiam maximæ machinæ pro ipsorum eiectione adhiberentur: vt ille, quem ad B. Remigium misit B. Benedictus, de quo Thes. 14. cap. 23: *Tertiò*, quòd expellẽdi maximos clamores atque vociferationes, quibus vim sibi fieri testati sunt, ediderunt. Horum plures postea recensebimus. *Quartò*, quòd verbis & clamoribus nõ contenti, grauiter miseros mortales in suo egressu torserunt, quemadmodum pluribus exemplis est clarum. *Quintò*, quòd se torqueri dixerũt, si quando expellerentur: quemadmodum legio eorum, quos Dominus expulit, de quibus sic Lucas. ca. 8.

Obsecro

Obſecro, loquebatur legio Domino, *ne me torqueas. Præcipiebat enim* (addit Euãgeliſtà) *Spiritui immundo, vt exiret ab homine.* Sextò & poſtremò, quòd in Exorciſtas grauiter ſæpè inuecti, quibus potuerũt modis, & nunc veris, nunc fictis excogitatis in ipſos criminibus, eoſdem conati ſint à ſuſcepto Exorciſandi munere auertere: nec his contenti, in Deum cæliteſque aliquando fuerint blaſphemi. Exemplo hic eſſe poteſt, quem Paulus Simplex à S. Antonio rogatus, eiecit: qui Paulum quidem atque Antonium vocabat Helluones, veternoſos, &c. Chriſtum autem blaſphemiis proſcindebat. Vide Palladium Sect. 25 Hiſt. S. Patrum.

Expellendi & eiiciendi verbis etiam ſatis inſinuatur inuitos diſcedere ex hominum corporibus Spiritus Nequam: Et horum eſt vſus frequentiſſimus in iis Scripturæ ſacræ locis, vbi proſcripti dicuntur. *In nomine meo Dæmonia eiicient*, loquitur Dominus Matth. 10. *Quare nos, potuimus eiicere illum*? loquuntur Apoſtoli Matth. 17. *In nomine tuo Dæmonia eiecimus*, loquuntur mali Chriſtiani; Matth. 7. *In principio Dæmoniorum Beelzebub eiicit Dæmonia*, loquuntur Phariſæi Lucæ 11. Sic legitur *eieciſſe* Dæmonia Dominus, Matth. 9. Apoſtoli, Marci 6 Filij Phariſæorum, Luc. 11. & quidam alios, qui Chriſtum non ſequebatur, Lucæ 9. 8

9 Legitur quidem quoddam Dæmonium rogaſſe Theodorum Archimandritam, vt ſibi hominem quem poſſidebat, relinquendi daret facultatem. Veruntamen hoc non tam hominem cupiebat relinquere, quàm à moleſtia, quàm præſentia Theodoti afferebat, liberari. Rem totam deſcribit Georgius

Gregorius Presbyter Theodori diſcipulus, apud Surium, Tom. 2, fol. 754.

10 Sic legitur quoſdam Spiritus fugam cepiſſe, prius, quàm ad Sanctos, à quibus eiiciendi eſſent, peruenirent vt ille, qui Gordiani Imperatoris filiam torquebat, qui aduẽtum B. Triphonis, à quo ſe faciendum ſciebat, anteuertit, teſte Metaphraſt. in vita Triphonis 1. Februarij. quoſdam ad ſolum Sanctorum aſpectum diſparuiſſe; vt integra Legio, quæ adoleſcentem inuaſerat, qui morſibus quoſque obuios lacerabat; qui mox, viſo Arnolpho Svveſſionenſi Epiſcopo, diſceſſit, quemadmodum eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus Liſiardus, in Arnolphi Vita teſtatur, cap. 24. quoſdam ad ſolam viſam Crucem fugatos: vt illos, qui ad S. Gregorium Lingouiẽſem Epiſcopum ſunt adducti: de quibus in eius Vita Gregorius Turonenſis, cap. 7. Quoſdam verbo eiectos, quorum Euangelica hiſtoria meminit. Sed tamen & hi ſi non grauiſſimis machinis coacti fuiſſent, domicilia ſua non reliquiſſent: & quæ reliquerunt, inuiti admodum atque ægerrimè reliquerunt. Atque ita demonſtratũ ſit, Dæmones ſedes ſuas difficulter relinquere.

CAPVT L.

Quæ cauſæ, cur cum tanta difficultate Dæmones deſerant homines, quos obſident.

1. DIfficilis Dæmonum ex humanis corporibus migrationis cauſam haud malè quis ex deſiderio, quod Dæmones obſidendos habent; collegerit.

gerit. Ob eaſdem videtur ægrè diſcedere, ob quas deſiderant homines ingredi, propterea, quòd cum difficultate illa relinquuntur, quæ cum voluptate poſſidentur.

Hinc manifeſtum eſt, ſtudium, & voluntatem 2
nocēdi præcipuè eos in hominib. retinere. Quēadmodum enim in hominum ingreſſu non ipſis propoſitum eſt, vt pœnarum ſuarum remiſſionem conſequantur: ſed vt noceant, ita hoc difficili ſuo receſſu quærere videntur omninò, vt noceant.

Sunt nihilominus, qui *alias* atque *alias* cauſas 3
huius difficilis diſceſſus aſſignant. Vtrum *bene* diſcutiendum eſt. Quidam volunt ipſos diſceſſum morari, propterea: quòd ſemel ex hominibus expulſi, ſecundò eoſdem ingredi, & vexare non poſſint. Alij quòd mox, vbi exacti ſunt, ad Infernum, quem vehementer deteſtantur, detrudantur. Priores hoc fundamento videntur niti, quòd ſemel ab homine victi, ad eundem ſecundò tentandum nonquam dicantur accedere: Poſteriores ex illo *Luc. 8.*
coniecturam accipiunt, quòd à Chriſto expellendi Dæmones rogauerunt, ne *imperare in abyſſum diſceſſum.*

Priorum, vt fundamentum infirmum eſt, ita 4
non firma ſatis aſſertio. Eſto, non ſtatim ad eundē hominem tentandum redeat Dæmon, à quo victus eſt: redire tamē ex illo colligimus, quòd victus à Chriſto ruiſus eundem aggreſſus ſit: niſi fortè fruſtra à Luca Euangeliſta (cap. 4.) dictum eſſe velimus, quod *conſummata omni tentatione* receſſerit à Domino Dæmon *ad tempus.*

Sed & ſi non ad eundem reditus conceditur,

poteſt

potest tamen esse facultas alium ingrediēdi. Probat id, qui Diocletiani Imp. filiam. Artemiam, aliquando torsit. Cū enim hunc S. Cyriacus Christi homine inuocato, eiiceret; nec vllum ipsi aliud commodum (vt postulabat) domicilium assignaret; eiectus, *Cogam te*, inquiebat Spiritus, *cum molestia in Persidem venire.* Quid deinde? Mox ab eodem Spiritu in Perside obsidetur Saporis Persarū Imper. filia. Pro cuius incolumitate, cùm pater esset solicitus, intelligit Cyriaci opera filiam iuuari posse: eundémque accersit. Accersito insultat Sathanas: *Nūquid dixeram*, inquit, *futurum, vt in Persidem difficile iter subires.* Apud Surium, Tom. 4.

6 Quid quòd ad eundem, semel eiectus Dæmon aliquando redeat? Docet hoc Domini oratio. *Cùm enim immūdus Spiritus*, inquit, *discesserit ab homine, perambulat per loca inaquosa, quærens requiem: & nō inueniens dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et cùm venerit, inuenit eam scopis mundatam & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios Spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi.* Idē significat Dominus Marci 9. quando iam egressuro Dæmoni præcepit, *ne rursus hominem ingrediatur.* Si enim rursus ingredi non potuit, cur ne ingrediatur præcepit?

7 Quod Dominus docet, confirmant exempla: illius imprimis, quem S. Bernardus aliquādo eiecit. Res sic se habet. Papię Sanctus vir agebat. Hîc ipsi Dæmoniaca adducitur: quòd spes esset meritis atque patrocinio Bernardi liberandam. At Dęmon mox Sancto viro cœpit insultare: *Non me*, inquiens, *de anicula mea pelles, porculos edens, & brassicas*

ſicas deuorans. Tum Bernardus Obſeſſam ad S. Syri Reliquias iuſſit adduci. Sed mox inſolentior factus Spirit⁹, *Nõ me Syrolus, Non me Bernardulus eiiciet*, clamabat. Reductę ad ſe Bernardus: *Nec te, Syrus, nec Bernardus eiiciet*, inquit, *ſed Dominus noſter Ieſus Chriſtus.* Et ad orationem conuerſus, impudentem Spiritum eiecit. Marito domum reuerſo, iterũ à Spiritu mulier inuaditur. Rurſus igitur ad Bernardũ maritus. Rurſus Spiritum expellit Bernardus: & ne ſe diſcedente tertiò mulierẽ ingrederetur Dæmon, collo Obſeſſæ hunc appẽdit Exorciſmum: *In nomine Domini noſtri IeſuChriſti, præcipio tibi Dæmon, ne hanc mulierem ingrediaris.* Ita cap. 4. lib. 2. vitæ S. Bernardi, apud Surium, Tom. 4. fol. 802.

Et exemplum Saulis primi Iudæorum Regis 8
hîc nobis ſeruit. De hoc, quòd verè aliquãdo Obſeſſus fuerit, oſtẽſum eſt ſuperius, quòd verò Spiritus aliquando ipſum reliquerit, admodum eſt probabile, propter illud, quod in fine cap. 16. dicitur: *Recedebat ab eo Spiritus.* Et tamen ad eundem rediiſſe Dæmonium manifeſtum eſt ex cap. 18. vbi ſic dicitur: *Poſt diem autem alteram inuaſit Spiritus Dei malus Saul.* Atque hoc prioribus ſit dictum.

Poſteriores quãuis cum ratione loqui videan- 9
tur; quod tamẽ aſſeritur, non poteſt certò conſtare. Vnde quæſo conſtabit? Non patrocinatur huic ſententiæ ſenſuum iudicium: Non ſacra eloquia: Non Dæmonum confeſſio.

Quid quòd contrarium non obſcurè Sacra elo- 10
quia inſinuent? Scimus Raphaelem Dæmonium *Tob. 8.*
abegiſſe: verũtamen non in *Infernum*: ſed in Ægyptum relegauit. Neque hic multùm referre putamus;

mus; ex homine, an ex domo Dæmonium eiectũ sit. Omnino huic, quòd Raphael eiecit, locus videbatur assignandus, quem petunt, qui ex humanis corporibus eiiciuntur.

11 Idem illi, qui à Domino eiecti postulant: vt ne
Lucæ 8. in abyssum mitterentur, confirmant. Si enim constabat se, postquam eiecti essent, in *Infernum* mittendos: quid rogant, ne mittantur? Sed quia nõ necessariò ad *Inferos* mittuntur eiecti; Christi autem summam in eiiciendo facilitatem & potestatem obseruabant: verebantur, ne qui ipsos corporibus expelleret: in *Infernum* pelleret: quod ne faceret, precabantur.

Cum his idem senserũt, quorum in vita sancti Germani Parisiensis Episcopi fit mentio. Egressuri enim Sãctum virum rogarunt, vt si inter homines versari non permitterentur, liceret saltem errare per desertũ. Ita Fortunatus cap. 30. S. Germ.

12 Veruntamen quamuis *Infernus* non sit definitus locus Dęmonibus, humana corpora relinquẽtibus: ad *Infernum* tamen relegari posse ex eo, ni fallimur, possumus coniicere: quòd, si quando ex hominibus expelluntur, nihil ita timeant; quàm quod in Infernum relegantur.

13 Quocirca non probatur quod quidam dicunt, nullam hominũ in Dæmonia aliam esse potestatem: quàm quòd illa ex humanis corporib. eiicere valeant. Esto, dicatur Dominus dedisse *potestatem*
Lucæ 10. *eiiciendi Dæmonia*: non tamen aliam quamcunque
2. Cor. 5. negauit. Quid quod alibi dederit *potestatẽ calcandi super Dæmonia*? & Sanctissimus Paulus, qua potestate Dæmonia in homines immisit? Vide Abulens. in 10. Matthæi.

Cap.

Capvt LI.

Quod quidam Spiritus Dæmoniorum difficilius eiiciantur: & quinam illi sint: atque vnde hoc habeant.

QVamuis omnes Spiritus humana domicilia ægrè admodum relinquant; quidam tamen sunt inter ipsos; qui cæteris difficiliùs eiiciuntur; quidam faciliùs. Et quemadmodum hoc certum est accidere, ita non ita certum est, *Quinam illi sint*, qui difficiliùs eiiciuntur: & *quibus de causis* idipsum contingat. Omnia verò hæc tria præsenti Capite ostendenda sunt. 1

2 Et primùm illud, vt à pluribus supersedeamus, illius Dæmonis exemplo manifestum est, qui ab Apostolis eiici non potuit; quorum tamen in Dæmonia fuit plena & summa potestas. Nam qui plurima iam in variis locis eiecerant; in vno, cuius tres Euangelistæ (Matth.17. Luc.9. Marc.9) meminerunt, frustra laborarunt.

3 Nec est, quòd quis omnem, huius difficilis discessus, causam in Apostolos coniiciat; quasi fides ad hoc opus perficiendum ipsis defuerit; quæ non defuerit, quando alios Spiritus ex hominibus eiecerunt. Quamuis enim incredulitati ipsorum Dominus tribuat, quòd Dæmonium illud non eiecerint: præter incredulitatem tamen significat etiam in ipso Dæmonio causam fuisse. *Hoc genus Dæmoniorum*, inquit, *non eiicitur nisi ieiunio & oratione*. Insinuat scilicet, Dominus, in aliis profligandis ab Apostolis non opus fuisse ieiunio & oratione, sufficisse Christi inuocatum nomen. hîc præterea

fuiſſe illis opus aliis ſubſidiis:quòd difficiliùs hoc, quam alia pellantur.

4 Idem admiratio, & ſtupor populi Iudaici confirmat. Neque enim ſemper illi ſtupebant aut mirabantur;quādo vel ipſorum filij,vel Apoſtoli,aut etiam Dominus Dæmonia eiiciebat:in aliquorum eiectione clamant:*Nihil ſimile viſum in Iſrael*:Mat. 9. nunc etiam Chriſtū pro Meſſia incipiunt habere,Matth.12.*Nunquid*,inquiunt,*hic eſt filius Dauid*? Meſſias?quia ſcilicet,ea à Domino videbant eiici, quæ ab aliis non poſſe pelli exiſtimabant.

5 Sed *Qui illi* Spiritus? difficile eſt vniuerſim definire,quinam,ſcilicet, ex omnibus ſint, qui cæteris *difficiliùs* eiiciantur; ſuperiorúmne Ordinū, an inferiorum:qui maiores moleſtias aliis afferunt,an qui minores: qui diutius ſedes ſuas in hominibus habuerunt,an qui non ita diu:quibus cauſa data ſui in homines ingreſſus,an qui vltro,abſque vlla Obſeſſorum culpa eoſdem cruciant. Quamuis enim hinc aliqua coniectura peti poſſe videbatur; certa tamē,&quæ exceptionē nō patiatur,peti nō debet.

6 Veriſimile eſt,& in inferioribus Ordinibus, & non tantùm in ſuperioribus,quoſdam eſſe;in quorum eiectione plus laboris ſuſcipiendum Exorciſtis:Et eſſe eos etiam aliquando, qui minores afferunt moleſtias:Et eos,qui non ita longo tempore in hominum corporibus ſedes ſuas habuerunt: Et præterea tales, quibus nulla per Obſeſſos in ipſos tyrannidis cauſa eſt data.

7 Nam qui ſuperiorum Ordinum tātùm hos eſſe dixerint: propterea; quòd hi viribus maioribus polleant:non attendunt etiā qui inferiorū Ordinū ſunt,quamuis illis viribus ſint impares, omnib. tamen

men hominibus, à quibus eiiciẽdi essent, esse superiores. *Neque enim est potestas*, inquit Iob, c. 41. hominis vllius, quæ cũ cuiuscunq; etiam minimi, potestate cõferri possit. Sed nec ex virib. spirituũ hęc res est metienda. quia non permittitur, quantum possunt, in miseros mortales sæuire modus ipsis impositus est. Quocirca fieri potest, vt plus etiam aliquando permittatur alicui inferioris Ordinis Spiritui, quàm alteri Ordinis superioris: & difficilius ille, quam hîc pelli possit.

Qui crediderint eos solos difficulter cedere: qui nullam quietem, nec diurnam, nec nocturnam ijs, quos obsident, relinquunt: refutantur exemplo illius, quem Matt. 17. Dominus docuit difficulter expelli. Difficulter ille admodum cedebat, sed tamen non continuo molestus erat illi, quem obsidebat. aliquando etiam eundem deserebat: quemadmodum Obsessi parens testatur apud Euangelistas, Mar. 9. & Luc. 6. 8

Eodem exemplo eorum sententia refellitur, qui difficiliùs expelli volunt, quibus iusta ab hominibus, quos obsident data est vexandi causa. Refellitur, inquam, quia miser ille nullam ingressus causam Spiritui dederat: vt qui ab ineunte ætate, quando peccare nondum potuit, carnificinam Dæmonis sustinuerat. 9

Denique neque diurnitas vel breuitas temporis, quo hominibus molesti fuerunt, certa hic regula esse potest: vt difficiliùs pelli illi dicendi sint, qui diutius suas in hominibus sedes habuerunt, (quod Hieronymum sensisse testatur Maldonatus, Comm. in Euangel.) faciliùs qui non ita diu. Nam qui difficillimè pulsus est, Mat. 17. postquam 10

aliquot annis miserè puerũ torsit: difficillimè etiã pulsus fuisset, ipso quo primùm ingressus est die: cùm vt verisimile est, in principio, quemadmodum fine & mutus fuerit & surdus.

11 Interim tamen quamuis ex iam dictis certum iudicium non videatur posse peti; ex vno tamen & de vno Dæmonum genere constare potest, quod quæritur. Ex quo vero? Christi reuelatione. Et de quo? Illo à quo Lunatici, siue surdi & muti, Obsessi dicuntur. Postquam enim frustra in hoc Spirituum genere eiiciendo laborassent Apostoli: *secretò* (quemadmodum S. Matth. habet, cap. 17.) Dominum accesserunt, interrogaturi, cur qui alios expulissent Spiritus, hunc eiicere nequirent: Quibus Dominus, post alia: *Hoc genus* inquit, *Dæmoniorum, non eiicitur, nisi in ieiunio & oratione*: quasi dicat: Misi quidem vos, cum potestate Dæmonia in nomine meo eiiciendi. Eiecistis quoque plurima: veruntamen in hoc eiiciẽdo quamuis consuetas machinas adhibueritis, nihil profecistis, quia scilicet aliud hoc Dæmoniorum genus est: Non ita facilè pellitur, vt cætera: hæc meo inuocato nomine fugiunt. Illud nisi oratione & ieiunio vrgeatur, non cedit. ita Tostatus quæst. 172. in 17. Matth.

12 Et certum hoc Dæmoniorum genus à Domino designatur. Pronomen, *Hoc*, magnum huius præbet argumentum. Demonstrant idem omnes, quibus res gesta describitur, circunstantiæ. Dæmonium enim illud puerum miserè torserat: pro ipso expellendo pater Apostolos rogarat: Apostoli eiicere, sed frustra, tentarant: ante eius proscriptionem Dominus fidem patris postula

ĉulabat: torturæ tempus ſciſcitabatur: ieiunio atque oratione ſolùm profligari poterat.

Verùm hîc iam quæſtio eſt, Quodnam illud Dæmonum genus? Reſpondemus ex Euangelica id conſtare Hiſtoria. Lunatici dici poſſunt, ſiue ſurdi atque muti Dæmones. Quoniam Dæmonem, qui difficiliùs expellebatur, pater nunc *Lunaticum Spiritum* vocat; nunc *ſurdum & mutum.* Matth. 17. ſic loquitur: *filius meus Lunaticus eſt.* at Marci 9. *Tuli filium meum habentem Spiritum mutum.* Quod verò idem *ſurdus* fuerit, Chriſti exorciſmus confirmat: *Surde*, inquit ille, *& mute Spiritus, præcipio tibi, Exi ab homine.* Itaque ſiue Lunaticum dicas, ſiue ſurdum & mutum Spiritum; perinde: hoc certum, pelli difficulter hoc Dæmoniorum genus. 13

Sed tamen ſi Lunaticum dicas, quod certis Lunæ temporibus tantùm cruciat, non verò facultate vel audiendi, vel loquendi priuet, qualia inueniri nemo poteſt dubitare, non quoſcunque Spiritus Lunaticos; ſed mutos tantùm atque ſurdos dicemus eſſe, qui cæteris difficilius, ex humanis corporibus, exigantur. 14

Et meritò difficiliùs. Quam enim rationem in his eiiciendis ſequeris? Neque enim quid loqueris volent intelligere; cùm ſurdi dicantur: neque ad interrogata vnquam reſpondere; cum ſint muti. 15

Meminiſſe tamen hîc oportet *mutos* atque *ſurdos* dici: non quòd facultate loquendi, audiendíue careat; ſed quod hac priuent, quos obſident. Et Lunatici vocantur, quod certis Lunæ temporibus & decrementis grauius torqueant. Priori illo 16

ostendunt odium quo erga miseros mortales flagrant; quos præcipuis sentiendi facultatibus priuant: posteriori inuidiam erga vniuersorum Dominum, Deum Opt. Max. cum hac Lunatica vexatione malum, quod ipsi afferunt, in Dei cupiant deriuare creaturas atque ita ipsum apud mortales, vel in odium trahere, vel certè reddere contemptibilem.

17 Mutos igitur atque surdos Dæmones dicimus esse, qui difficiliùs expelluntur. Sed an hos solùm? An præter hos, alios quoque? Huius definitionem non aliis relinquimus: ad Tertium, quod hoc Capite propositum nobis est, accedimus. & difficilis huius discessus *causam* inquirimus.

18 Nicolaus igitur Liranus, in 9. ca. Marci, viribus & potētiæ Spirituum hoc tribuit, quòd hi aliis difficilius eiiciantur. *Cùm enim viribus sint impares Spiritus, qui maioribus,* inquit, *instructi sunt, difficiliùs ex hominibus exiguntur, qui minoribus facilius.* Veruntamen hæc non ita bene dici videntur.

19 Primùm, Quoniam Spirituum immundorum vires maximæ sunt, multisque modis humanas quascunque superantes. Neque hoc de ijs tantùm dictum volumus, qui superiorū sunt Ordinum, & viribus superant eos, qui sunt Ordinum inferiorum; de omnibus dictum volumus. Minimus Spirituum (cuiuscunque etiam ille Ordinis, conditionisque sit) quemcunque mortalium, etiam robore viribusque valentem superat, Iob. 41. Quocirca si virium hîc ratio habenda, non minus difficulter minimus, quàm maximus à quocunque mortalium eiicietur.

20 Deinde, non permittuntur pro virium suarum

quan

quantitate in Obsessos mortales sæuire Dæmones. Docet id, vel is, qui difficulter, Matth. 17. à Domino est pulsus. Quomodo, quæso, non interfecisset miserum puerum, quem nunc in *aquam atque ignem præcipitabat? nunc in terram prosternebat?* si quantum per vires suas voluit, sæuire permissus fuit?

Tertiò, quia machinæ, quæ pro Dæmonum eiectione adhibentur, non ex se habent hoc, quod Dæmonũ possint frãgere vires: veluti calida frangunt vim frigidorum: Dei voluntate quod possunt; possunt in Dæmones: & ab iisdem tam facilè, si Deus vellet, vincentur, & ex hominibus eiicientur Spiritus supremi, viribusque præstantes; quam infimi; quorum minor virtus atque potestas. 21

Quæ igitur tam difficilis egressus causa? quia, scilicet, hi Lunatici: siue surdi atque muti Spiritus *maiorem in Obsessorum corpora acceperunt à Deo potestatem.* Et quo maior ipsis in corpora potestas collata; eò difficiliùs ex corporibus eiiciuntur. Pro quantitate potestatis, quam in homines accipiunt; maior atque minor vis ad ipsos ex hominibus pellendos necessaria, videtur. Ita Tostatus Abulensis, quæst. 172. in 17. Matt. 22

Hinc est, quod Christi in his Lunaticis, siue mutis atque surdis Spiritibus expellendis, potestatem plus mirati sint, & prædicarint Iudæi: quàm in quibuscunque aliis eiiciendis: quàm etiam in mortuorum ad vitã restitutione. Postquam enim mutum Dæmonium eiecisset, mutusque locutus fuisset; *miratæ* (inquit Matth. Euangelista, c. 9. *sunt turbæ dicentes; Nunquam sic apparuit in Israel.* Et capite 12. cùm iterum eiecisset Dæmonium mutum, 23

T 4

in illam veniunt opinionem, vt credant esse Messiam. *Nunquid*, inquiunt, *hic est filius Dauid?* Similiter testatur Lucas, cap. 9. *obstupuisse omnes in magnitudine Dei*, postquam curauit Lunaticum, cuius mentio fit Matth. 17. Et tamen hic stupor ipsos non apprehēdit; quando mortuos excitabat: Nunquam in similes voces proruperunt. Atque hoc breuiter pro hoc argumento.

CAPVT LII.

Quibus potissimum signis egressum suum prodant Dæmones.

1 NOn quæritur, Quibus signis constare potest, homines à Dæmonum obsidentium tyrannide esse liberatos: sed *Quibus egressum suum illi prodant*. Quemadmodum enim, vt prima disputationis huius parte dictum est, aliis produnt suum in homines ingressum: aliis suam inhabitationem: ita aliis potest constare, quòd homines obsessos reliquerint iam; aliis quod egrediantur.

2 Prius illud vno aut altero argumento est clarum: posterius potest innotescere pluribus. Obtentæ libertatis hoc vnum argumentum est, si nullum eorum, de quibus cap. 22. 23. 24. &c. egimus, signorum latentes Spiritus prodat: nullam etiam mortales sentiant, aut experiantur molestiam, siue cruciatum: alterum est, si qui Obsessi fuerunt, significent se libertati esse restitutos.

3 Quamuis enim aliquando in hominibus possint latere Spiritus, & molesti nō esse, quemadmodum doctum est prima Disput. parte; vt tamen nullas

molestias

moleſtias pariant,vel nullo ſe ſigno inſinuent: aut non contingit,aut contingit rariſſimè. Ille, cuius aliquoties mentionem fecimus, quem expulit B. Germanus, Pariſiorum Epiſcop.non moleſtus erat puellæ: quam obſidebat: ſed tamen hoc ipſo ſe inſinuabat,& proditus eſt:quòd vſu membrorũ Obſeſſam priuaret,ſi quãdo ad templum illa properaret. Sic qui Obſeſſi fuerunt, poſt adhibitos Exorciſmos & alia Chriſtianæ religionis, quibus contra Dæmones pugnatur,arma, ſi ſe ſignificent liberatos, de libertate ipſorum non temerè præſumitur.

4 Sed *Signa, quibus Dæmones diſceſſum ſuum prodant*,inquiramus Igitur *duplicia* illa ſunt.Quædam ab Exorciſtis coacti dant Spiritus: quædam vltro dant non coacti. Siquidem aliquando Chriſtianorum adiurationibus iubentur diſceſſum ſuum, editis ſignis, prodere: aliquando diſcedentes, vltrò,pòſt ſe diſceſſus ſigna relinquunt. In priori genere ſunt luminis extinctio, vitri alicuius ruptio, aut quid ſimile:in poſteriori alia atque alia.

5 Eſt verò inter duplicia hæc ſigna plurimum diſcriminis. Quæ coacti dant: pro imperantium imperio eduntur. Quæ ſponte: pro voluntate ipſorum Spiritum. Rurſus, in prioribus plerúmque nihil eſt,quod reprehendas: in poſterioribus ſemper aliquid, quod meritò diſpliceat, Priora item ſæpe ſolius Dæmonis perficiuntur opera, extra ipſos Obſeſſos: poſteriora quamuis Dæmonum ſint opera: ſæpe tamen in, vel per ipſos Obſeſſos fiunt. De poſterioribus hic nobis maximè eſt ſermo.

6 Et quæ illa? Plurima ſunt, & admodum varia.

Nec mirum. A libera, & quæ variorum & plurimorum effectuum causa esse potest, proficiscuntur voluntate. Sed tamen ex multis quædam nobis, quæ ex rerum gestarum Historiis collegimus, sunt recensenda.

7 Primum sit, *ipsorum Spirituum confessio.* Hac suũ egressum indicarunt illi, quorum S. Euangelista Marc. cap. 1. meminit, cùm enim necessitas exeũdi, & sua domicilia, quæ possederant, relinquendi ipsos vrgeret, in hanc vocem eruperunt: *Quid nobis, & tibi, Iesu Nazarene? venisti ante tempus perdere nos.* Et ille, quem S. Cyriacus ex filia Diocletiani Imperatoris expulit. *Iam quidem*, inquiebat impostor, *discedam: sed efficiam, vt cum difficultate in Persidem venias.* Ita in Vita Cyriaci, apud Sur. Tom. 4.

8 Secundũ est *animalculorum quorundam ob Obsessis discessus:* In quorũ genere præcipuè sunt muscæ, aranei, formicæ, & huius similia. De Petro quodam Cauponis filio legitur, in Vita Theodori Archimandritæ: quòd cum ipsum à Dæmonis tyrannide vir sanctus liberaret, Dæmon visus sit discedere, in specie nigræ formicæ. De Magnofledini cuiusdam filia scribit Fortunatus, in Vita sancti Germani, cap. vigesimoseptimo: quòd ab illa, ad Imperium S. Germani, Spiritus malus exierit in specie muscæ.

Huc refero auiculam, quæ supra caput cuiusdã Diaconi visa est, mox, vbi eundem ab obsidente Spiritu liberauit. Idem Germanus Parisiorum Episcopus, teste eodem Fortunato, Pictauorũ Episcopo, cap. quinquagesimosecundo, eius Vitæ. Refero quoque Draconem septuaginta cubitorum; in

in quem mutatus est Dæmon, quem Paulus Simplex ab adolescente eiecit. Historiam ad longum refert Palladius Sect.25.in Vita Pauli Simplicis.

Tertium fit, *ingentes clamores, vociferationes, atque belluarum voces*. Cum clamore valido egressus est, quem, Marci primo, eiecit Dominus (quamquã, cum clamore, torturam grauẽ attulerit Obsesso:) quemadmodum & ille, qui Marci nono expellitur:& plurimi, quorum Actuum octauo meminit sanctus Lucas. Item alius, cuius in Vita sancti Macarij fit mentio, qui & cum clamore coniunxit cruciatum, apud Metaphrast.7.Februarij. 9

Cum eodem clamore egressum suum prodiderunt, qui se gemino incendio torqueri dicebãt: quando S.Genouefa Turonum ingrediebatur, visitatura reliquias sancti Martini apud Surium 1. Ianuarij. Et illi, qui à sancto Parthenio eiiciendi, cùm petiissent, quò diuerterent, audierunt, se, Parthenium ingrederentur. Magnis enim clamoribus editis, disparuerunt, teste Metaphraste, septimo Februarij. Sic magnos clamores cum corporis Obsessi collisione edidit, quem Theodorus Archimandrita expulit, de quo Thesi 8. huius Capitis.

At belluarum voces, hoc est, vlulatum, rugitum, sibilum, &c.in suo egressu, reddiderunt illi, qui ad Reliquias sancti Lithorij, Cenomanensis Episcopi fugere coacti sunt, de quibus Surius, Tom.4.fol.338. Illi quoque, quos ad sepulchra Elisæi, Ioannis Baptistæ, atque Abdiæ rugire consueuisse, docet B.Hiero.Epist.27. ad Eustachium, de Vita Paulæ.

Quartum signum est, *deformitatis per Diabolum allata* 10

allatæ cessatio. Hoc deprehensum est, ab obsidente Dæmone liberatum esse puerum, qui in modum vtris inflatus erat. Cùm enim pro hoc sanctus Macarius orasset: maxima copia aquæ ex Obsessi corpore defluxit, tumórque omnis resedit, & expulso Spiritu maligno pristina incolumitas rediit. Metaphrastes 7. Febr.

11 Quinti signi loco sit *vomitus*, cum quo Spiritus egressi leguntur haud rarò. Propinauerat cuidam Obsesso puero sanctus Bernardus aquam benedictam: & mox post haustum egressus est Spiritus cum ingenti vomitu. Ita in Vita Bernardi, libro secundo, cap. tertio. Sic quem beatus Dominicus eiecit, magnam vim carbonum, euomuit. In Dominici Vita, libro secundo, ca. nono, apud Surium, Tomo 3.

Cum vomitu *sanguinem* coniungo: quem præter iam dictum, per nares abundantem, vnà cum musca eiecit puella à S. Germano curata, de qua Thesi 8. huius Capitis, & Energumenus, de quo Gregorius Turonensis, lib. 2. Miracul. cap. 44.

Coniũgo *saniem*; quæ egressa est ex ore mulieris, quam à Dæmonis vexatione S. Huber. liberauit. de qua Surius Tom. 6. in Vita Hubert.

12 Sextum signum sit *fœtor grauis*, quem nunc exhalant Obsessi, nunc post se relinquunt. Hic prodidit discessum Dæmonis ex puella Tolosana: quæ ad S. Benedictum primum à parentibus adducta, ab eodem deinde Rhemos, in Galliam, ad S. Remigium missa est, de qua Hincmarus, in Vita Remigij, quòd ingentem post se fœtorem reliquerit, quàm primùm eandem Diabolus reliquit. Cum simili fœtore discessit Spiritus: quẽ S. Svvibertus,

ex quo

ex quodam Edelhero, in villa Vellenberg, profligauit, de quo cap. 20. Marcellinus in Vita eiusdem Et inter triginta septem, qui vno eodémque tempore ad Reliquias S. Maximini sunt curati, mulier fuit: quæ 47. annis Spiritum obsidentem perpessa erat: quam postquã ille reliquit, sulphureo odore tẽplum respersit, teste S. Lupo in Vita Maximini, Simili sulphureo fœtore aërem infecit, quem S. Columbanus imperio suo expulit, cùm Pariseos, Clotharium Regem inuisurus, esset ingressus, ita Ionas cap. 27. in eius Vita.

Septimum indicium discessus Spirituum immundorum, est *insolitus tumor in Obsessorum corpore, maximè illa parte qua egredi volunt.* Hoc agnouerunt discessum suum moliri illum, quem B. Catarina Senensis eiecit. Recedente si quidem tumore quem in Obsessi gutture excitauerat: obseruata est mox integra sanitas Obsesso restituta. Vide Raimundum in Catarinæ Vita. 13

Octauum argumentũ est, *membrorum disruptio*, & vehemens cruciatus. Hoc in illo fuit, cuius S. Marc. meminit, Dæmonio. Cùm enim iuberetur à Domino exire, hominem discerpsit: &, magna voce edita, discessit, Marc. 1. Et Spiritus, qui per solùm Triphonem ex Diocletiani filia se eiici posse dixerat, postquam puellam multum discrutiasset, egressus est, teste Metaphr. 1. Febr. Sic cum ingenti corporis membrorúmque omnium distractione discessit, cui S. Dominicus imperauit exire ex muliere, quæ Romæ ipsius interturbabat concionem, quemquam hæc simul & multum sanguinis, & magnam carbonum euomuerit copiam, vt lib. 2. cap. 9. Vitæ eiusdem docetur. Ille item, qui 14

coactus

coactus est cedere S.Columbano, de quo superiùs Thes. 12. huius Capitis.

15 Nonum signum sit *Obsessorum in terrã deiectio, & allisio.* Cum hoc sanitatem consecuta est Principis cuiusdam filia, per Theodorum Archimand. Cùm enim vir sanctus importunius Dæmonem vrgeret: miseram ille terræ allisit, & magna voce edita discessit, ita Georgius presbyter in Vita Theodori. Similiter in terram prostrauit hominem, quem Simon Salus, alapa inflicta, curauit: de quo Leontius Episcopus Neapoleos in Vita Simonis. Illa quoque, quæ post haustam aquam benedictam, quam S.Maltouius propinauerat, curata mox fuit, in terram primùm corruit, teste Sigeberto, in eius Vita. Et cui S.Nicetius Treuirensis Episcopus, Crucem opposuit, primùm in terram dilapsus est, pòst sanus surrexit. Vide Thes. vltimam. cap. 23.

16 Decimum signũ sit. *Imago mortis:* Neque enim raró obseruatur eos, à quib⁹ Dęmones eiecti sunt, veluti mortuos concidere, & à mortuis vix differre. Exemplum huius præbet S.Marcus cap. 9. Euãgelicæ historiæ. *Cõminatus est,* inquit, *Dominus Spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute Spiritus, ego præcipio tibi, Exi ab homine: & amplius ne introeas in eũ. Et exclamans, & multũ discerpẽs eũ, exijt ab eo: & factus est sicut mortuus. Et multi dicebãt, quia mortuus est.* Hæc Marcus, Præbet aliud huius exemplũ Surius Tom. 6. in Vita S.Huberti, Episcopi Leodiẽsis. Nam quam hic àb infestante Dæmone eripuit: eandem semimortuam Dæmon reliquit.

17 Denique vndecimum signum sit, *magni tumultus, & cum tumultibus damna* aliquãdo mortalibus

allata

allata in fortunæ bonis. Refert Palladius, Sect. 71. in Vita Abbatis Possidonij, à muliere grauida eiectum esse immundum Spiritum, *qui egrediens diruerit à fundamento totum aulæ parietem.*

Hæc signa. Duo verò vel tria his adiicienda 18
sunt. Primùm est, non credendum esse, vt quemadmodum nos dicta signa distinximus, & in certas classes coniecimus, ita ipsa semper distincta inueniri. Quoniam quamuis quædam per se inueniantur sola, nihil tamen prohibet, multa (quid quod omnia?) aliquando obseruari, quæ vnius Spiritus discessum testentur. Hoc & exempla pleraque à nobis allata testantur: & quotidiana confirmat experientia.

Alterum est, non certum omnino atque infal- 19
libile ex his signis datis, discessus Dæmonum argumentum accipi, Sicuti pro voluntate sua Spiritus hæc post se signa relinquunt: ita eadem possunt dare, & nihilominus in hominibus, quos aliquandiu obsederunt, sedes suas retinere. Et de hoc nullum apud doctos dubium est.

Tertiũ est, nec necessariò signa hæc cũ Spirituũ 20
discessu coniuncta esse; adeò, vt ex humanis corporibus migrare valeat nullus, quin simul editis signis discessum suũ testetur. Sæpenumero ipsa cum Dæmonum discessu coniuncta sunt, sed nihilominus fieri potest, adeóque fit non rarò, vt discedant: nullis sui discessus post se datis signis.

Nec hæc mira cuiquam videri debent, quia 21
pleraque signorum dictorum à libera ipsorum Spirituũ pendent voluntate: non illa tantũ, vt quẽadmodum hæc, ita alia reddere valeant: verùm etiam

etiam ea, vt omittere omnino possint. Ad signa hæc edenda, plena est iis libertas, vt in scholis loquimur: & quo ad *spectationem* & quo ad *actus exercitium*.

Hinc est, vt multoties eiectos legamus Spiritus, de quibus, quòd ex humanis corporibus discesserint nullis, in egressu, datis signis constare potuit, quales sunt eiecti à Triphone Phrygiensi, Berthulpho Abbate Bobiensi, Bernardo Clareuallensi, Germano item Episcopo Antisiodorensi, aliisque quam plurimis: quorum frequens in hac Disputatione facta est mentio.

CAPVT LIII.

Explicantur rationes & causæ signorum discessus, quæ ex humanis corporibus eiecti Spiritus edere solent.

1 IN causis rationibúsque Signorum, quæ Spiritus Nequam ex hominibus egressuri edere solent, inuestigandis, vel quæri potest, *Cur Spiritus plerunq; non egrediantur, nisi signis sui discessus relictis*: vel non hoc solùm, verùm etiam, *Cur hæc, atque illa relinquant.* Quemadmodum enim rerum omnium aliæ possunt esse rationes cur operentur: aliæ cur hoc vel illud operentur: ita aliæ possunt esse causæ atque rationes: cur signa in suo discessu Spiritus immundi edant: aliæ cur hæc atque alia edant.

Vtriusque vero rationes & causæ nobis explicandæ sunt: tum vt absolutior sit Disputatio: tum quia vtrobique sunt, quæ non inutilem habent inuestigationem. A prioribus initium sumemus.

Cur

Cur igitur *Signis quibusdam* ſuum diſceſſum pro-
duntDęmones?Reſpóndeo breuiſſimè:*partim quia* 3
prodere coguntur : *partim quia vltro prodere volunt.*
Quod dicimus ex diſtinctione ſignorum, præce- 4
denti Capite data,manifeſtum eſt. quædam enim
ipſis ab Exorciſtis imperantur:quædam ipſi vltro,
nec rogati, nec coacti,dant.In priorib.illis cogun-
tur:in poſterioribus his liberrima eſt voluntas,quæ
ſignorum eſt cauſa.

Sed,Itane in prioribus coguntur, vt illa edere 5
prorſus ſit neceſſe,Si non ſemper,profectò,vt plu-
rimum coguntur.Quemadmodum enim vi Exorciſ
morum, atque imperio Sanctorum hominum,vſu
etiam conſecratorũ rerum illis neceſſitas imponi-
tur,vt domicilia ſua relinquant inuiti:ita vt diſceſ-
ſus ſui ſigna dent & argumenta.

Rurſus,Siccine libera ſunt poſteriora,vt omitte- 6
re ſi vellent,poſſent?Poſſunt.Neq; enim liberè illa
ab ipſorum voluntate proficiſcerentur : niſi penes
ipſos eſſet eadem intermittere. Quæ liberè dant:
liberè poſſunt non dare:liberè poſſunt intermit-
tere.

Cæterum *alterum*,hoc eſt, Cauſas atque ratio- 7
nes inueſtigemus,cur hæc potius,quàm illa ſui diſ-
ceſſus dent ſymbola. Et hic nobis prior diſtinctio
ſignorum ſeruire debet. Siquidem aliæ locum ha-
bent in prioribus illis,aliæ in poſterioribus.Quid
mirum? Nam priora pro hominum redduntur im-
perio & voluntate ? poſteriora pro beneplacito
Dæmonum.Poſſunt autem aliæ rationes & cauſæ
homines mouere,cur hæc vel illa poſtulent : aliæ
Dæmones cur hæc vel illa relinquant.

Et quæ cauſæ ſignorum, quæ ab hominibus

petuntur? Propemodum ſemper vna eademque: & quidem illa ipſa, quæ diſceſſus Spirituum ſit argumentum. Neque enim aliud omnib. quæcunque & qualiacunque homines petunt, indicijs propoſitũ eſt, quàm vt de Spirituum exitu ſint certi, quocirca hic eadem cauſa *ſignorum*, & *talium* atque *talium* ſignorum.

7 Quæ verò rationes Signorum, quæ pro ſua voluntate aut certè non ab hominibus coacti, Dæmones relinquunt? Reſpondeo *ſemper ſibi conuenientiſſima dare*, quæcunque tandem dent. quemadmodum mali corui, malum ouum. quamuis aliæ atque aliæ rationes & cauſæ in alijs Signis ſint ipſis propoſitæ. Obſcurius hoc, Explicandum

8 ergo.

Varia ſuperius docuimus eſſe ſigna, quibus egreſſuri Dæmones diſceſſum ſuum teſtantur. Sed tamẽ omnia propemodum ad *quatuor genera* reuocantur Alia dici poſſunt *crudelia*: alia *ſordida*: alia *barbara*: alia *Leuia*. *Crudelia* ſũnt, diſruptio membrorum, internus viſcerum dolor, corporum in terram diſiectio, & plurima mortis imago. *Sordida*, vomitus, tam per os, quam per nares, egeſtio ſordium, fœtor ſulphureus, odor grauis. *Barbara*, rugitus, boatus, inconditi clamores, aliæque belluarum voces. *Leuia*, formæ quorundam animalium abiecto-

9 rum.

Et hæc quidem omnia, vt diximus, Dæmonib. optimè conueniunt. *Crudelia*, tanquam homicidis, quo nomine ipſos Dominus compellat, Ioannis, ca. 8. *Sordida*. tanquam Spiritibus immundis quod nomen ijſdem idem Dominus tribuit. Lucæ 11. *Barbara*, tanquam Leonibus, quibus D.

Petrus

Petrus ipſos confert: cap. 4, *Leuia* tanquam abiectis Dei hoſtibus, quorum pro oratione ſuorum peccatorum, miſerrima eſt conditio.

Sed tamen in ſingulis propemodum aliud atque 11
aliud propoſitum videtur Spiritibus. *Crudelia* igitur ſtatuunt ex odio, quo flagrant erga miſeros mortales, nocendique libidine, quæ ipſos nunquã deſerit. Quemadmodum enim hæc omnium miſeriarum atque moleſtiarum, quas obſeſſis hominibus afferunt, ſunt cauſa: ita efficiunt, vt ab hominibus diſcedentes, quam poſſunt, & permittuntur, exerceant crudelitatem.

Sordida relinquunt, vel ad præſentes vexandos: 12
vel in deteſtationem rerum ſacrarum, quarum in ipſorum eiectione eſt vſus. Neque enim tantùm ijs cupiunt eſſe graues, in quibus ſuas ſedes habent: cupiunt eſſe quibuſcunque: quibus eorum ex mortalibus proſcriptio eſt grata. quo circa cùm præſentibus alia ratione aliquando nequeant, fœtore excitato ipſis ſunt moleſti. Sic quia Aqua benedicta ipſis aliquando porrigitur: ſuo vomitu, quàm hanc deteſtentur, declarant. 13

Barbara ferocientis & belluini animi erga mortales ſunt argumenta: *ſimúlq;* quam ægrè eoſdem relinquant, his volunt teſtatum. Quemadmodum enim eadem aliquando ab hominibus non bene ſanis, quamuis non ob Obſeſſis, ob eoſdem fines dantur, ita dari ob eoſdem à Dæmonibus, admodum eſt veriſimile. 14

Leuia, ni fallimur, in ipſis Dæmonibus cauſas, vt plurimum, non habent: nec tam ipſa vltro dare videntur Spiritus: quàm aliunde, vt dent cogi. Huius

non leue argumentum illud eſt;quod ad formam dictorum animalium, quibus diſceſſum ſuum teſtentur, cogi videantur. Quocirca in his, non quid Spiritibus, quàm illi, qui hæc animalia imperat, propoſitum eſt, attendendum.

CAPVT LIV.

Qua via egrediantur Dæmones, quando humana corpora relinquunt.

1 QVæ Ca.9.dicta ſunt de Via, quam Spiritus tenent in ſuo,in miſeros mortales, ingreſſu: eadem nobis ſeruiunt hoc loco,vt doceamus, quã ſeruent in egreſſu. Veriſimile eſt,quod aut ſemper, aut plerumque eandem teneant, & quando ingrediuntur, & quando egrediuntur.

2 Quocirca primum hoc conſtitutum ſit, *certam determinatámq;* illis nullam eſſe,ad nullam ita eſſe aſtrictos, vt illam deſerere nequeant;& aliam quãcunq; in egreſſu tenere non valeant.Quemadmodum quicunque hominis meatus,atque porus ipſis patentiſſima eſt porta ad ingrediendum: ita ad egrediendum.Quid,quod aut meatib.aut poris nullis egeant? poſſunt ipſa penetrare corpora?

3 Si corporibus inſtructi eſſent Spiritus:poris indigerent,aut meatibus: ſi non magnis, ſaltem aliquantis: per quos ſe in corpora inſinuarent: at quia corporum expertes ſunt: tam facilè loca peruadunt,quæ corporibus etiam ſolidiſſimis ſunt referta:quàm quæ corporibus ſunt deſtituta.

4 Poſſunt igitur per os hominis egredi: poſſunt per

per nares, per aures,reliquoſque meatus & poros. Poſſunt per quamcunque hominis partem. Et de prioribus illis difficultas nulla eſt: pro poſteriori ſeruit nobis Theodorus. Archimandrita: qui cùm obſeruaſſet Dæmonem in brachio Oſtiarij ſui Eutychij latere:non ad os:aut alium aliquem meatum, illum compulit: quin imò ne ad caput aliam ve partem,vbi facilior videtur eſſe egreſſus,perueniret: oppoſito humeris Crucis ſigno prohibuit, coegitque in brachio ſibi viam,qua exiret, quærere:quemadmodum & quæſiuit, & inuenit. Sic de Miraculis S.Martini refertGregorius Turon.quòd cum obſeruatum eſſet, in vngulam pollicis cuiuſdamEnergumeni deſcendiſſe Dæmonium, digito infuſum eſſe oleum de ſepulchro Martini ſumptum,& diſrupta cute,vnà cum ſanguine diceſſiſſe Dæmonium.Ita Turo.capite.9.de Gloriá Confeſſoris.

Nihilominus qui multas habere & tenere poſ- 5
ſunt in ſuo,ex humanis corporibus, egreſſu vias, *duas* videntur præcipuas obſeruare: quarum licet altera ipſis tanquam immundis Spiritib. ſit conuenientior:altera tamen magis vſitata.

Prior illis Spiritibus fuiſſe videtur:qui, fœtore 6
graui poſt ſe relicto, ſua habitacula deſeruerunt, quorum plures recenſuimus Cap.52.& diſertè teſtatur Gregorius Turonenſis,de Gloria Confeſſorum,c.9.oleo: quod de S. Martini ſepulchro deſumptum fuit,vnctum eſſe caput Energumeni cuiuſdam, *& ſubitò Dæmonem per fluxum ventris egreſſum eſſe.* Poſterior fuit alijs quam plurimis,ſed inprimis triplicibus: *Primùm* ijs, qui diſceſſus ſui

ſigna in ore Obſeſſi dederunt, exhibitis animalculis, formicis, muſcis, araneis. *Deinde* ijs, qui eundem ſuum diſceſſum prodiderunt, tumore gutturis aut colli ipſorum Obſeſſorum. *Tertiò* ijs, qui cum vomitu turpi & fœdo diſceſſerunt. Et horum exempla eodem cap. 52. data fuerunt.

7 Probabilia ſunt hæc: quæ diximus: veruntamen non ita certa, vt contrarium aſſerere temerarium ſit quin poſſunt & poſteriores hi, in Obſeſſorum ore, aut circa os diſceſſus ſui ſigna dare, & alia via egredi: Et poſſunt priores fœtorem poſt ſe relinquere, & per os euolare, Sed, vt diximus, probabilitatis ſpeciem habent, quæ aſſerimus; non veritatis neceſſitatem.

CAPVT LV.

An omnes ſimul egrediantur, ſi quando multi fuerunt: qui vnum aliquem hominem obſederunt, & exire coguntur.

1 PRioris Capitis quæſtio curioſior fortaſſis fuit, hæc vtilior videtur. Nam cum conſtet plures quandoque in vno homine eſſe, ſi ſimul non omnes diſcedunt adiurati, intelligunt facilè exorciſtæ nondum integram ſe victoriam obtinere de hoſte quando de aliquorum diſceſſu magna manifeſtaq; habent indicia: ſed vlterius ſibi eſſe progrediendũ: nec ceſſandum, donec poſtremum eiecerint, ſi perfectam ſanitatem, & incolumitatem afflictis mortalibus velint eſſe reſtitutam:

2 Niſi fortè dicere velimus eam vim virtutemque eſſe

esse machinarum, quibus domicilijs suis eijciuntur Spiritus: vt quamuis ipsi per se possint, & velint discedere nunc simul: nunc hi sine illis: tamen tum ipsis necessitas incumbat simul discedere: quando his machinis petuntur. Sed quis hoc asseruerit?

Quid igitur ad propositam Quæstionem Hoc videlicet: *Nec semper simul egredi Spiritus*, quando per se egrediuntur, non coacti; aut saltem leuiter tentati: *Nec semper simul egredi*, quando grauiorib. etiam tormentis vrgentur. 3

Prius illud clarum est ex ipsorum Spirituum conditione. Liberrima hæc est, Non vnus ab alio pendet: aut vt sit, aut vt operetur. Potest quisque per se esse. Potest quisque per se operari. Potest igitur hic voluntate sua hominem, quem obsidet, relinquere, quamuis ab eiusdem vexatione alter nolit resistere. 4

Præterea in discessu Spirituum ab hominib. alia non est, quàm in eosdem ingressu ratio. At necesse non est, vt omnes *simul* ingrediantur. Potest vnus alterum in societatem asciscere, Potest in domicilium recipere, quemadmodum haud obscurè Dominus insinuat, Matth. 12. Possunt igitur & hi à mortalibus discedere: & illi in ijsdem cum eorundem molestia, perseuerare. 5

Quod si vires Spirituum attendamus, hinc quoque constabit rationi admodum esse consentaneum, quod dicimus. Non illæ æquales sunt omnium quidam alijs sunt robustiores. Quocirca & hi inferiores, etiam inuitos suis sedibus possunt pellere, & quamuis id non faciant. (Lucæ 11) possunt tamen facere. 6

7 Certum quoque eſt,vnum pro alterius imperio & voluntate cedere.Plura eius rei argumenta nos capite decimo ſexto attulimus.Si verò cedunt pro voluntate atque imperio eius,qui extra Obſeſſum eſt,quid prohibet, cur minus vnus alteri cedat pro voluntate aliquorum, qui vnum aliquem hominem ſimul poſſident?

8 Cæterùm,*Vtrum,cùm Exorciſmis,aut alijs(quibus Chriſtiani contra ipſos pugnant) armis tentantur.ſimul omnes diſcedant*,forſitan aliquis dubitauerit: propterea,quòd quandocunque (ni fallimur) legimus ipſos per Sanctos homines eſſe eiectos omnes ſimul eiectos legamus, Sed tamen nec hîc neceſſe eſt confiteamur. omnes cogi,vt *ſimul* diſcedant.

9 Huius *prima ratio* ex Dæmonum inæquali in homines poteſtate accipitur. Cùm enim in vno eodemq́ue plures eſſe poſſint, quorum non æqualis eſt in Obſeſſum poteſtas:potuerunt eijci, qui minorem habent poteſtatem: & ſedes ſuas retinere, qui habent maiorem.

10 *Altera* ex machinis.quibus expugnantur expellendi:ſumitur. Neque enim omnes omnibus ſeruiunt.Etiam Chriſti Apoſtolorumq́ue ætate pro quibuſdam exigendis ſeruiebat Ieſu inuocatum nomen: pro alijs illud vires non habebat:quemad modum docet Lunaticus, cuius aliquoties meminimus.Quid ſi igitur Ieſu nomen adhibeatur quibuſdam:non verò,quæ Dominus docet requiri,Ieiunium atque Oratio?Et tamen poſſunt vtriuſque generis quidam in hominib. latere. Nónne igitur hi ſedes ſuas mutabunt:illi eaſdem retinenebunt.

11 *Tertiam* Exorciſtarum conditio ſuppeditat.Multa in ipſis neceſſaria eſſe,dixímus cap.trige.octauo

ſi ſuo

ſi ſuo officio bene fungi velint. At quædam horũ ipſis poſſunt deeſſe: quædam quamuis adſint, poſſunt reddi perfectiora: quædam quamuis perfecta ſint, neceſſe eſt repeti, ſi optatos effectus obtineri debent. Fieri igitur poteſt, vt Exorciſmis vel leuiter tẽtati, vel ſemel tentati, quidam fugam capeſſant: alij non niſi iiſdem identidem repetitis diſcedant.

Hæc omnia confirmat experientia, noſtra ætate obſeruata. Neque enim rarò notatum eſt quoſdam Spiritus, relictis poſt ſe certis indiciis, diſceſſiſſe; quoſdam ſedes ſuas in iiſdem hominibus retinuiſſe: qui & ipſi poſt modum grauioribus machinis tentati, datis ſignis, egreſſi ſunt. Taceo confeſſionem Dæmonum, qui huic rei fidem quandoque fecerunt. 12

Quæ cùm ita ſint, non malè faciunt Exorciſtę, quando, cum Dæmonibus congreſſuri, primùm ſciſcitantur, *Quotnam* ipſorum ſint, qui miſerum hominem affligant; quîque ſingulorum, vel certè præcipuorum capitum nomina exquirunt: nec exorciſandi finem faciunt priùs, quàm victoria de ſingulis ſit parta. Sic enim plena ſua mortalibus reſtituitur libertas. Sic omnis Dæmonum ceſſat vexatio. Sic non inanis eorum intelligitur fuiſſe labor, & defatigatio. 13

Verumenimuerò, quamuis non ſemper *neceſſe ſit ſimul* omnes egredi, quãdo Chriſtianæ religionis, ſibi contrariis, armis vrgẽtur: *vt plurimùm* tamen ſimul egredi ex *tribus* videmur colligere. *Primum* ex illo, quòd Sanctos homines, de quorum Dæmonomachia Annales extant, vel vno Exorciſmo, vel alia aliqua ratione vſos legamus, in 14

quorumcunque Dæmoniacorum curatione. *Alterum* est, quòd vel nũquam, vel rarissimè legamus vnum aliquem, aut alterum eiectum ab aliquo homine fuisse, & interim in eodem, alios aliquos hæsisse. *Tertium*, quòd machinæ, quibus Dæmones tentantur, omnes ipsis sint exosæ: & ob id si vnum aliquem in fugam conuertant, verisimile sit in fugam conuerti omnes.

CAPVT LVI.

Quò tendant Spiritus Dæmoniorum ab hominibus eiecti.

1 VAria sunt loca, ad quæ immundi Spiritus, domicilia sua relinquentes, solent diuertere, *sed præcipuè sex*, ni fallimur. Et ad horum quædam inuiti proficiscuntur: ad quædam libenter: ad quædam libentius: ad quædam libentissimè.

2 Primum omnium sunt *humana corpora*: Neque enim aut impossibile est, aut nouum, quòd ex vno egressi, aliud ingrediantur. Qui Artemiam Diocletiani Imperatoris filiam obsidebat, à S. Cyriaco Diacono expulsus, mox in Persidem transuolauit; ibique Iobiam, Saporis Persarum Imperatoris filiã ingressus, magna summæ crudelitatis dedit argumenta: quemadmodum constat in vita Cyriaci, apud Surium Tomo 4. Et qui nostris temporibus eijciuntur, sæpissimè, vt alios ingredi liceat, efflagitant.

3 Sunt secũdo loco *bestiæ atq; pecudes* humanis vsibus seruientes Exemplum huius præbet grex porcorum; in quos integra legio expulsorum Spirituum

rituum permissa est ingredi: qui deinde magno impetu facto, cum dominorum suorum damno gregem in mare egerunt præcipitem. De quibus Matth. 8.

Sunt tertio, *loca culta*, hominum vsibus apta, atque ab iis inhabitata: Nam quemadmodum dubium non est quosdam inter mortales, cum voluptate conuersari, atque etiam aliquos ingredi: ita credi potest quosdam ex hominibus egressos, hominum societatem quærere. Serui hic eadem Dęmonum legio, quæ rogabat *ne extra regionem, in qua versabatur, mitteretur.* Sed & de locis infestis Disputatio plurima hîc exempla suppeditat. 4

Quartus locus est *superior aër*, quibusdã vsque ad diem supremi iudicij, à Deo Opt. Max. ad homines exercendos destinatus. Quemadmodum ex hoc plerique Dei permissu, homines ingrediũtur: ita ex hominibus eiecti, ad hunc, quasi sibi deputatum & proprium locum, reuertuntur. 5

Quintus locus est *solitudo siue desertum.* Hîc sedem suam habuit Dæmonium, quod mortem attulit viris, qui Saræ concubitum expetebant. de quo Tob. 8. capite. Et de hoc loco plura in illa de Locis infestis Disputatione. 6

Sextus denique locus est *infernus*, quem Dominus dixit *paratum Diabolo, & angelis eius.* Matt. 25. Ad hunc ne mitterentur rogabant illi, qui *abyssũ* deprecabantur. Matth. 8. Quamuis enim, vt bene notat Iansenus, cap. 31. Concordiæ Euangelicæ, *Abyssus* propriè significet aquarum profunditatem: accipitur tamen quandoque (maximè in nouo Testamento) pro Inferno; propterea, quod sub terra sit, mortuos damnatos ita 7

absorbens,

abſorbens, vt emergere illinc non poſſint. Sic ad Rom.10. accipitur, & Apoc. 9.11.17.20.

8 Magna autem & multiplex eſt inter hæc loca *differentia*: Sed cuius hîc habenda ratio; illa ex voluptate & difficultate, quam eiecti ex hominibus Spiritus his habent, nobis diſcutienda eſt.

9 Ad *prima* igitur illa loca libentiſſimè diuertunt, verſipelles. Nullubi maiorem, quàm his voluptatem percipiunt. Nec mirum, quia, quod, Nequam intendunt, hîc aſſequuntur facilè, hominũ ſcilicet malũ: quod partim corporibus afferũt, partim animabus; quando ſedes ſuas in hominibus habent.

In hoc verò domicilij genere, impios ſiue ma-
10 los homines pię bonis expetere videntur: niſi fortè illa impiorum ſit conditio; vt prorſus deſperatæ ſint ſalutis. Quamuis enim vtriſque incommodare deſiderent; hos tamen præferunt: quòd intelligant hîc ſe, cum maiori ſuo emolumento, & horũ detrimento verſari: cùm his ad gratiam reditum videantur præcludere; bonis maiorem & gloriæ & gratiæ ſua tortura præbere ſegetem.

Poſt humana corpora, reliquis locis *beſtias &*
11 *pecudes*, quæ humanis vſibus ſeruiunt, præferunt: non tam vt beſtiis moleſtiam, quam vt hominibus, quorum beſtiæ ſunt, detrimentum afferant. Vbicũque magis mortalib. poſſunt incõmodare, gratior illis eſt reſidẽtia: quia vt mortalibus incõmodẽt, præcipue eorum cogitationes. Hinc, quos ex homine eiiciebat Dominus, Matth.8. quia, vt eiecti rurſus in homines mitterentur, ſpem nullam habebant: vt porcos ingredi liceret, precati ſunt, & obtinuerunt.

12 Quod ſi iam dictis locis habitatio negatur: vt

inter

inter homines ſaltem ipſis eſſe, & verſari liceat petũt. Idem iam dicti à Domino eiecti docent. Quã enim aliam ob cauſam, ne *extra regionem mitterentur* rogatunt? Et iis locis libentiùs verſantur Nequam, vbi nequitiæ ſuæ aliquando argumenta dederũt: & quibus, quòd dare poſſint, ſpes affulget: qualia ſunt, quæ ab hominibus incoluntur.

Quid ſi nec inter homines ipſis locus datur? Eligẽt præ reliquis *vaſtas ſolitudines*. Neque enim ab his ita abhorrent: ſicut ab aëre, aut inferno, ipſis per voluntatem Dei, quem oderunt, deſtinatis locis. Crux quædam, atque tormentum ipſis eſt, & aër, & infernus: quamuis maius infernus. 13

Atque vt hæc loca vel expetunt, vel præ aliis eligunt Dæmones, ita præ omnibus abominantur, fugiunt & horrent *Abyſſum*, ſiue *Infernum*. Rex ipſorum confeſſione clara eſt, Matth. 8. Cur verò? An quia in inferno concluſi, viuis incommodare nequeunt? An quia extra infernum ſupplicia nulla ſuſtinent? illa verò mox ſubeunda, vt in infernum relegãtur? An quia maiora & grauiora ipſorum ſupplicia in inferno, quam extra? An quia ſemel in infernum miſſi, nunquam facultatem habent inde redeundi? Cauſas has ſequenti Capite diſcutiemus. 14

CAPVT LVII,

Cur Diaboli egerrimè ad Infernum deſcendant.

FInis præcedentis Capitis materiam ſuppeditat præſenti. Inquirebãtur ibi cauſæ *cur Abyſſum ſiue* 1

ſum ſiue Infernum horreant eiecti ex hominibus Dæmones: & potius quæcunque alia, quàm inferni loca eligant adire. Illæ hoc Capite explicandæ.

2 De *quatuor* verò quæſtio inſtituta fuit: quæ Vtrum omnes; an vna, aut plures locum habeant, quamuis curiosè, fortaſſis tamen cum fructu, diſputatur. Et aliis quidem Dæmones bono aliquo priuari poſſunt videri: vt ſi ideo refugiant: quòd vel libidini ſuæ, qua hominibus nocere cupiunt, nequeant ſatisfacere: vel quia vagandi libertate, neceſſitate carceris infernalis, priuētur: Aliis malo affici; vt ſi reformident infernū, vel ob meritas pœnas, quæ ſunt ſubeundæ: vel ob earundem augmentum, quod ad priores accedit.

3 Et ſunt, qui dictas cauſas omnes volunt valere apud hos Spiritus. Alij non omnes, ſed aliquot; & horum quidam pauciores; quidam plures. Nos quod res eſt paucis Aſſertis definimus.

4 Rectè ſentiunt, qui Dęmones Infernum reformidare, & horrere exiſtimant, *quòd libidini ſuæ in hominibus vexandis ſatisfacere nequeant.* Hoc primùm Aſſertum. Huius ratio manifeſta eſt: quoniam Infernus iiſdem, non vt ibidem noceāt: ſed vt, quas meruerunt, pœnas perſoluant, deſtinatus eſt. Quocirca cùm voluptatem ex hominum vexatione haud paruam capiant; eáque priuentur, cùm Inferno concluduntur, nō poſſunt non tantùm odiſſe Infernum, quantùm, vt hominibus noceant, habent deſiderium, atque voluptatem.

5 Non tamen inferno concluſis omnis poteſtas, mortales cruciandi ablata eſt. Illa ſolùm eſt ablata: quam in viuos habent. Interim qua in damnatos ſæ

tos ſęuire poſſunt, tantū abeſt, vt ablata ſit: vt tum primùm atrocius in miſeros ſæuire credi debeāt. Neque enim tantùm ad Infernū retruſi ſunt Dæmones, vt patiantur: etiam vt diuinæ iuſtitiæ ſint miniſtri, & damnatorum hominum ſint tortores hæc loca *modò* occupant.

Secundò, eos bene ſentire exiſtimamus, qui ob aliquod emolumētum, quo infernali carcere priuantur, eos credunt Infernum horrere. Et quod illud? *Quòd vagandi libertas ipſis ablata ſit.* Dubium non eſt, quin res creatæ omnes ſua, quam habere aptæ natæ ſunt, libertate gaudeant, & magis atque magis illæ, quæ excellentiora; præ cæteris, naturæ præſidia obtinuerūt. Res inductione omnium clariſſima eſt. At præ cæteris omnibus naturæ dignitate excellunt Spiritus. Imprimis igitur libertatis erunt amātiſſimi. Iam verò hac priuantur Spiritus Dæmonum, Inferni carceribus concluſi. Nō igitur poſſunt nō odiſſe eos, & deteſtari. 6

Tertium Aſſertū eſto: Errāt qui Infernum Dęmonibus horrori eſſe dicunt, quòd *ibidem ſupplicia, quæ iam olim promeruerunt ſint ſuſtinēda*, à quibus extra Infernum conſtituti ſunt liberi. Vbicūque miſeri ſunt; ſunt miſerrimi. In inferno, in aëre, in ſolitudinibus, in pecudibus, in hominibus, in ipſo quoque ſi eò redire daretur, cælo. Suum ſemper ſecum cruciantem ignem circumferunt. Hoc quia copioſiùs docet Diſputatio de Locis infeſtis, hîc pluribus proſequi neceſſe non eſt. 7

Hinc perſpicuum eſt; in graui errore verſari eos, qui Dæmonum ſupplicia vſque ad extremum generalis iudicij diem volunt eſſe ſuſpenſa. Quāuis enim in hac olim ſententia fuerunt viri; non parum 8

parum literati; tamē nostris temporibus, sine graui hæreseos periculo, ea sententia non defenditur. Hic omnium iam rectè sentientium est sensus, & consensus, mox post peccatū à Spiritibus *Nequam* cōmissum, sua degeneribus supplicia à Deo fuisse decreta; & à miseris subita.

9 Verūtamen (quod quartū sit Assertum) quamuis quod semel meruerant supplicium, semper passi sint, patiantúrque Dæmones; quocunque etiam loco versentur: dubium tamen nullum *Inferni carcere cruciatum ipsorum augeri*; & ob hoc pœnarum auctuarium Infernum ipsis odio esse.

10 *Accidentalem* hanc pœnam vocant Theologi: quemadmodum priorem, quæ ipsorum peccatis debetur, *essentialem*. Neque enim hæc propriè ipsorum, vt *essentialis* illa, peccatis debetur; sed conditionem miserorū sequitur: & inde proficiscitur, quod inferno conclusi facultate vagandi priuati sint, & libidini, qua hominibus nocere cupiunt (quod ipsis graue est) nequeant satisfacere; Atque hactenus de locis.

Cap. LVIII.

An voto & desiderio Dæmonum liceat obtemperare, quando egreßuri ex hominum corporibus aliquid petunt

1 HAbent quandoque, quòd petant egressuri Dæmones. Et vt quotidiana omittamus, id clarū est, exemplo aliquot millium; qui à Domino, iam iam eiiciendi, leguntur postulasse, *ne extra Gerasenorum regionem mitterentur: atque vt liceret ingredi in porcos.*

Hinc

Hinc quæstio oritur: *An ipsorum desiderio, si quid egressuri petant, possit fieri satis.* Christi exemplum suadere videtur, vt quandoque possit: Contrarium insinuat nocendi eorum summum & indefessum studium. 2

Res, ni fallimur, sic se habet: *Vt si iniquum non sit, quod petunt, petitioni possit fieri satis: sin secus, non possit.* Prius trifariam contigit. Nam vel petunt, ne malum ipsis afferatur: vel ne bono aliquo, quod habent, priuentur: vel vt bonum aliquod de nouo consequantur. Posterius, duo rerum genera continet; quorum aliæ Dei honorem lædunt, aliæ proximorum saluti officiunt. Discutiamus singula. A postremis incipiamus. 3

Nunquam Dæmonum petitioni satisfieri debet: si quod Dei honorem, aut gloriam lædat, postulant. Nihil Dei honori præferendum. Etiamsi ab homine egressuri non putentur Spiritus Nequam, nisi in hac re ipsorum petioni fiat satis, petitioni annuendum non est. 4

Sic, si quid, quod proximorum saluti officiat, petant; audiendi non sunt. Post Dei honorem, Dei amicitia atque nostra salute nihil possumus habere prius. Quocirca si salutis vnius etiam hominis iactura fieri debeat; quamuis totius mundi incolumitas, & pax, opera Dæmonum, expectetur; Dæmonibus acquiescendum non est. 5

Dum postulant, ne nouis malis grauentur, ne scilicet in infernum detrudantur miseri, petitioni acquiescere possunt Exorcistæ: hoc est, possunt non in infernum relegare, quos potestate sibi diuinitus data, si vellent, relegare valerent. Hoc quid mirum? Si sine peccato sunt Exorcistæ, quando 6

Dæmones ex hominibus obſeſſis non eiiciunt; criminis rei erunt, ſi quos eiiciunt, non ad inferos remittant.

7 Si rogent, ne bono quod poſſident priuentur; audiri aliquando poſſunt. Chriſti hic nobis ſuffragatur exemplum. Rogabant eum quidam, *ne regione Geraſenorum*, quam quaſi poſſidebant, pellerentur. Nec pulſi ſunt à Domino. Fortè nullum ipſis bonum, ea in regione? Cur igitur ne pellantur, rogant? Quemadmodum diuerſi Dæmones alijs & alijs vitijs delectantur: ita diuerſi ad diuerſas regiones afficiuntur: & eas maximè, in quibus mores hominum, propter longam conſuetudinem perſpectos, habent; atque vbi ipſis maior ſpes, & occaſio nocendi.

8 Quid, quòd ſi bonum aliquod poſtulent, obtinere id quandoque poſſint? Bonum quoddam ipſorum eſt, hominum vexatio & cruciatus: hoc iis poteſt aliquando concedi petentibus. Nunquid non Deum roganti cuidam, vt Iob affligeret, id eſt, conceſſum? Adde quòd Dæmoni Apoſtolus Paulus quendam Corinthium tradiderit. tradiderit etiam Alexandrum & Hymenæum. An poteſt Apoſtolus Dæmoni præcipere, vt homines ingrediatur; & roganti, vt in hominem ingrediatur, ſi quando expellitur, non poteſt facultatem facere?

Iob. 1. *1. Cor. 5.* *1. Tim. 1.*

Veruntamen magna hîc cautela opus eſt. Multa hac in permiſſione Exorciſtis ſunt attendenda.
9 Non facilè hic Dæmonum petitioni acquieſcendum. Neceſſe eſt, vt ſi in aliquos ingrediendi facultas conferenda ſit; id ipſorum opera mereantur: dignumque ſit, de quibus ob demerita graues

ues pœnæ ſumantur: quemadmodum Apoſtolus ſuo exemplo docuit in Alexandro, Hymenæo, & Corinthio.

Nec hoc ſufficit. Neceſſe etiam eſt, vt qui Exor- 10
ciſtarum officio funguntur, in eos, quos Dæmoni tradunt, imperium & ius habeant; adeoque ratione officij & poſſint, & valeant animaduertere. Quemadmodum habuit Elegius Nouiomenſis Epiſcopus; qui in ſuorum ſubditorum quinquaginta Dæmonibus ſęuiendi poteſtatem fecit, quod ab impiis & ſacrilegis ritibus non abſtinerent. teſte Audoeno in Vita eius, cap. 20.

Debet quoque hîc propoſita eſſe ſpes maioris 11
boni: vt, ſcilicet, qui alijs rationibus non videbantur poſſe iuuari; hac iuuandi credantur: & ſpiritus ſaluus fiat, dum in corpus ſæuiunt Dæmones. Et hæc ſpes eidem Elogio propoſita fuit. Vnde rogatus, non ſtatim hanc pœnam relaxauit: *Diſcant*, inquit, *prius, cui ſeruire elegerunt, antequam à tyrannide Dæmonis abſoluantur.* Eandē fuiſſe propoſitam D. Paulo, hæc ipſius oſtendit oratio: *Quos* (intellige Hymenæum & Alexandrum) *tradidi Sathanæ*, inquit, *vt diſcant non blaſphemare.* Sic (1. Cor. 5.) tradidit Sathanæ Corinthium in interitum carnis, *vt Spiritus eius ſaluus ſit, in die Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

Debet etiam abeſſe ſtudium Dæmonibus pla- 12
cendi. Non ipſis tanquam amicis hîc gratificandum eſt; ſed tanquam lictoribus & carnificibus vtendum. quibus quanquam gratum eſt incommodare; pro hominum tamen imperio & voluntate incommodare, moleſtum eſt. Quapropter non hîc Dæmonum malitiæ ſeruitur; ſed eorum malitia & nocendi ſtudium nobis ſeruit.

13 Addiderim his, Hanc poteſtatem Dæmonibus dandam non eſſe, niſi ab ijs; qui ſummum in ipſos ius habent; & quandocunque libet eos humanis corporibus exigere poſſunt, quale habuiſſe D. Paulum Sacræ docent literæ: & Elogium, cuius iam ſecundò mentionem fecimus, res ipſa. Siquidem poſtquam iuſtum de ſuis ſupplicium ſumptum eſt: aquam benedictam ipſis offert: qua ſumpta, mox Spiritus receſſerunt. Quia verò hoc ius paucis, hoc tempore, tributum eſt, parciſſimè Dæmonum petitioni in hac cauſa putarem ſatisfieri oportere.

14 Porrò quamuis in quibuſdam, vt dictum eſt, poſſimus ipſorum deſiderio ſatisfacere; in nullo tamen facere tenemur: licet etiam quæ ex re hominum ſunt, petant. Nobilis quædam mulier obſeſſum ſeruum ad Theodorum Archimandritam adducebat: atque vt ab eo Dæmonium pelleret, rogabat. Theodorus mox, ne ſe loco moueat, imperat. Quid Dæmon? magnis vocibus ſe torqueri clamabat. facultatemque diſcedendi petebat. An obtinuit? Non obtinuit, niſi poſtquam Theodoro viſum eſt. Ita Georgius presbyter in Theodori Vita, apud Surium, Tom. 2.

Finis Diſputationis de Dæmoniacis.

ELEN

ELENCHVS, SIVE INDEX CAPITVM LIBRI DE DÆMONIACIS, in quatuor partes distributus.

PRIMAE PARTIS CAPITA.

SECVNDAE PARTIS CAPITA.

TERTIAE PARTIS CAPITA.

49. An

QVARTAE PARTIS CAPITA.